Bav. 1321

COMMENTARIUS

DIPLOMATICO-CRITICUS

SUPER

DUPLEX PRIVILEGIUM AUSTRIACUM FRIDERICI I. et II. IMPERATORUM, UTRUMQUE BREVIUS ET LONGIUS;

Bayerische Staatsbibliothek München

OCCASIONE NOTAE, NUMERO CVII. CODICIS PATAVIENSIS VOL. XXVIII. MON. BOIC. SECT. II. ADDITAE, CONSCRIPTUS;

CONSENTIENTE

ACADEMIA SCIENTIARUM BOICA

VULGATUS.

MONACHII
SUMPTIBUS ACADEMICIS
1831.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

COMMENTATIONES

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Praefatiuncula

sive scopus et synopsis dicendorum.

Contigit, ut duo Academiae huius regiae scientiarum membra, summo honore nominanda, utpote recensendis et edendis Monumentis Boicis novae collectionis bipartitae ex decreto regío designata, sibi in loco et modo inserendi privilegium Austriacum super erectione ducatus Austriae de anno 1156 et confirmationem eius de anno 1245 adversarentur; uno longum, altero brevius utrumque diploma ceu authenticum, iustum ac solum verum diploma erectionis et confirmationis praedicante.

Hac contentione inter ambos istos Monumentorum Boicorum editores durante, uterque eorum commentarium sive recensionem ad istud diploma sive privilegium praeparavit.

Prior ergo mense Augusto elapsi anni 1830 privilegio isti, ex Codice III. Passaviensi, qui Lonstorfianus dicitur, edito, commentarium suum sàt amplum a pag. 357 usque 369 sectionis II. Part. II. Monum. Boic. Vol. XXVIII. addidit, simul tamen memoriam alterius commentarii alias edendi p. 366 excitavit.

Absoluto autem iam prima Decembris anni elapsi hoc volumine et partim iam divulgato, Academia regia scientiarum, super illo praevio certamine edocta, negligere editoris alterius laborem nec potuit, nec debuit; sed decrevit, ut alteri sententiae locus suus hisce in paginis daretur; non quo se certamini immisceat, sed ne sententia in nota num. CVII. pronunciata sibi imputetur.

Prodit ergo commentarius alter sive recensio utriusque privilegii Austriaci, Friderici I. 1156, Friderici II. 1245, brevioris ac longioris, eodem fere modo, quo reliqua diplomata imperatorum ac regum Germanicorum, sequendo in hoc Neugartum, hucusque recensita sunt et porro recensebuntur.

A. Repetitur editio melior privilegii minoris Friderici I. imperatoris 1—4.

B. Pariter iteratur editio privilegii maioris Friderici I. imp. 5 — 13.

C. Similiter geminatur confirmatio ac renovatio Friderici II. imp. minor, inserto privilegio Friderici I. minore. 13–17.

D. Eodem modo duplicatur confirmatio ac renovatio Friderici II. maior, inserto privilegio Friderici I. maiore 17 — 24.

Singulis exemplaribus subiiciuntur editiones eorum, quotquot hactenus prodierunt, aut inveniri potuerunt, ordine chronologico.

E. Ostenditur discrimen essentiale, quod intercedit inter minus et maius privilegium Friderici I. imp. 24 — 28.

F. Afferuntur momenta pro justo iudicio super utrisque exemplaribus privilegii Friderici I. ferendo I. 29. II. 32. III. 33. IV. 35. V. 37. VI. 43. VII. 45. VIII. et IX. 46. X. 48. XI. 54. XII. 57. XIII. 60. XIV. 62. XV. 63.

G. Proponitur discrimen, quod est inter utrumque exemplar diplómatis renovatorii ac confirmatorii Friderici I. imp. minoris et maioris. 66.

H. Adducuntur momenta pro dijudicanda auctoritate, qua unum prae altero valet exemplari privilegii Friderici II., minus prae majore. I. et II. 68. III. et IV. 69. V. 70. VI. 71. VII. 73.

Freyberg Classis historicae
Secretarius.

A.

Fridericus I. R. imperator marchiam Austriae in ducatum commutat, eumque patruo suo Heinrico et uxori eius Theodorae in beneficium haereditarium, foeminium, concedit, per privilegium datum Ratisbonae.

17. Septembris 1156.

In Nomine sancte et indiuidue trinitatis Fridericus diuina fauente clemencia Romanorum Imperator Augustus, Quamquam rerum commutacio ex ipsa corporali institucione possit firma consistere, Vel ea que legaliter geruntur nulla valeant refragacione conuelli, ne qua tamen possit esse geste rei dubietas, nostra debet Imperialis auctoritas precauere, Nouerit igitur omnium christi imperiique nostri fidelium presens etas, et successura posteritas qualiter nos eius cooperante gratia, a quo celitus in terram pax est missa hominibus in Curia generali Ratispone in Natiuitate sancte Marie celebrata in presencia multorum religiosorum, et katholicorum, Principum Litem et controversiam, que inter dilectissimum patruum nostrum Heinricum Ducem Austrie et Karissimum nepotem nostrum, Heinricum Ducem Saxonie diu agitata fuit De ducatu Bauarie Hoc modo terminauimus, quod Dux Austrie nobis resignavit Ducatum Bauarie quem statim in beneficium concessimus Duci Saxonie Dux autem Bauarie resignauit nobis Marchiam Austrie, cum omni iure suo et cum omnibus beneficiis, que quondam Marchio Liupoldus habebat a ducatu Bauarie Ne autem in hoc facto minui videatur honor et gloria Dilectissimi patrui nostri De consilio et iudicio Principum Wadislao Illustri Duce Bohemie sententiam promulgante, et omnibus principibus approbantibus Marchiam Austrie in ducatum commutauimus, et

eundem Ducatum cum omni Jure prefato Patruo nostro Heinrico, et prenobilissime uxori sue Theodore in beneficium concessimus, perpetuali iure sanccientes, ut ipsi et liberi eorum, post eos indifferenter filii et filie eundem Ducatum Austrie Hereditario Jure a regno teneant et possideant Si autem predictus Dux Austrie patruus noster, et uxor eius absque liberis decesserint libertatem habeant eundem Ducatum affectandi cuicumque voluerint Statuimus quoque ut nulla magna uel parva persona in eiusdem Ducatus regimine sine Ducum (Ducis) consensu uel permissione aliquam iusticiam presumat exercere Dux vero austrie, De ducatu suo aliud servicium non debet Imperio nisi quod ad curias quas Imperator prefixerit in Bauaria euocatus veniat nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte quam Imperator in Regna uel provincias Austrie vicinas ordinauerit Ceterum ut hec nostra Imperialis constitucio omni euo rata, et inconuulsa permaneat Presentem inde paginam conscribi et Sigilli nostri inpressione insigniri iussimus, adhibitis testibus ydoneis, quorum nomina sunt hec, Pilgrinus Aquilegiensis Patriarcha, Eberhardus Archiepiscopus Salczburgensis, Otto episcopus Frisingensis, Ch. (Chunradus) episcopus Pataviensis, Eberhardus episcopus Babenbergensis Hartmannus episcopus Brixinensis, Hartwicus Ratisponensis et Tridentinensis, Dominus Welfo Dux, Conradus pater (frater) Imperatoris Fridrici (Fridricus) filius Rex (Regis) Ch (Chunradi), (Heinricus) Dux Karinthie, Marchio Engilbertus De Istria, Marchio Albertus de padem (staden), (Marchio) Diepoldus Heinricus (Hermannus) comes Palatinus Reni, Otto comes Palatinus, et frater eius Fridericus, et alii quam plures.

Signum domni Fridrici Romanorum Imperatoris Invictissimi, Ego Rinaldus vice Arnoldi Maguntinensis Archiepiscopi et Archicancellarii recognoui Regnante domno Friderico Romanorum Imperatore in Christo Datum Ratispone XV Kal. Ottobris (Octobris) Indiccione IIII Anno dominice Incarnacionis. MCLVI. Anno regni eius quinto Imperii secundo Amen.

a) Ex codice Mspto Bibliothecae regiae Monacensis in 4° maiore, qui est chartaceus, a fol. 97 usque 132, continens Andreae presbyteri

Ratisbonensis chronicon de ducibus Bavariae, scriptum an. 1425, finitum 1427, diligenter manu coaeva descriptum, ubi fol. 120. hoc diploma exhibetur, cui talis humore rubro scripta praemittitur inscriptio: „Copia Literarum Friderici Imperatoris qui marchionatum „Austrie convertit in ducatum, et Heinricus dux Bauarie, fit primus „Austriae."

b) *Editiones.*

1) Ex Chronica Augustensi, an. 1152 incepta, an. 1265 absoluta, adeoque subcoaeva, ad an. 1156. ap. M. Freherum Scr. Rer. Germ. I. edit. priori p. 359. edit. Struv. 510.; quae non differt ab annalibus Heinrici Steronis, vel potius Hermanni Niederaltach. ap. Heinr. Canis. edit. priori Ingolst. 1601. p. 231. edit. Basnagii IV. 173 et 174. Fons ibi ostenditur purissimus, privilegium imperii, non domus cuiusdam.

2) Ex Jo. Andrea presb. Ratisb. flor. 1431. in chronica de ducibus Bavariae usque ad an. 1439. edit. in Kulpisii Script. Rer. Germ. ed. 1685. p. 27. 28. in Schilteri Scr. R. Germ. p. 2.; germanice in Baron von Freybergs Sammlung hist. Schr. und Urk. II. 423 f.

3) Ex Thom. Ebendorfer ab Haselbach in chronica Austriae scripta inter an. 1403 — 1451. ap. Hier. Pez in Scr. Rer. Austr. II. 710. ad an. 1156, qui testes omittit et loco sigilli nostri, habet: nostrae maiestatis aurea bulla etc.

4) Ex Schritowini seu Schreitweini catalogo episcoporum Patauiensium scripto circ. 1451 — 1479. ap. Rauch scr. Rer. Austr. II. 490 et 491. ad annos episcopi Conradi I. 1148 — 1164.

5) Joa. Aventinus (obiit 1534) germanice in Epitome oder kurzen Auszug der bayerischen Geschichte, edita 1522. ad finem, ubi more solito fontes laudat, exemplaria latina, Landishuti ac Niederaltachii inventa, qui emendat errores in testibus per Hermannum et Andream commissos, non tamen omnes; consulto enim praeterit Albertum marchionem sibi incognitum ac subiicit tres testes aliunde sibi cognitos, denuoque in idioma germanicum vertit.

6) Laur. Hochwart in Catalogo episcoporum Ratisbon. scripto 1539 — 1542 ap. Oefele Scr. Rer. Boic. I. 194 in versione German. ex Aventino.

7) Wolfg. Lazius (ob. 1565) Migr. gent. edit. 1572 L. VII. p. 358, qui initium diplomatis usque ad medium eius dedit.

8) Aegyd. Tschudii (ob. 1582.) Chronicon Helveticum in edit. german. per I. R. Iselinum I. Thl. 77. 78. germanice ex Aventino, latine in nota ex Guillimanno..

9) Wigul. Hund. metrop. in omnibus editionibus, quarum prima 1582. p. 43., altera 1620 I. 113. tertia 1719. I. 77. inter diplomata Frising. ex Hermanno et Andrea, addita hinc inde emendatione Aventini.

10) Guillimannus in Habspurgicis edit. prima 1605. 4° p. 210 — 212. edit. Ratisb. 1696. p. 288 — 290. et in edit. Tigur. 8. 1707. p. 256. ex Hermanno et Hundio.

11) F. Christoph. Lehmann in Chronica von Speyer, scripta 1611. edita 1711 per I. M. Fuchs in huius additionibus p. 463. 464. ex Hermanno.

12) Melch. Goldast in constitut. imp. editio prima 1615 p. 282 et 283. edit. tert. I. 282 et 283. ex Hundio.

13) Wilh. Ernst. Tentzel in den monatl. Unterredungen I. Jahrgang an. 1689. p. 559 — 562. qui sua hausit ex Thom. Ebendorfer ab Haselbach, supra n. 3. tunc inedito.

14) Jo. Geo. Leukfeld in antiquit. Ilfeldens. 1709. 4. p. 21. not. l.

15) J. Fr. Pfeffinger in Vitriario illustrato I. T. 1712. p. 129. ex Frehero num. 1. et Hundio.

16) Ph. Jul. Rehtmeier Braunschweig Lüneburg. 1722. p. 316 et 317. ex Hermanno sive sic dicta chronica Augustensi Freheri. n. 1.

17) Joh. Christ. Lünig Cod. German. dipl. II. Thl. 1733. p. 477., sistens ibi tria exemplaria brevioris diplomatis Friderici I. duo ex Haselbach, tertium ex chronica August. cnfr. n. 1. et 3.

18) Bayrische Deduction in der österreich. Erbfolgssache nach dem Tode des K. Karl VI. 1741. Beyl. lit. B. et in versione franco-gallica Part. II. 1743 pieces iustificativ. p. 3—5. lit. B.

19) J. H. Falkenstein Historia Boiorum II. Theil. 1763. S. 396 et 397 *)

*) Andreae Ratisbonensis Chronicon praecessit Chronica Hermanni Niederaltachensis ab an. 1106 ad an. 1273 pertingens, ut aiunt Mellicenses ap. Perz. Archiv der Gesellschaft für ältere d. Gesch. IV. 258., cuius antiquissimum ac

B.

Fridericus I. Rex imperator, qui marchiam Austriae in ducatum commutavit, terram eiusdem ducatus variis et amplissimis privilegiis exornasse perhibetur, per bullam auream, datam Ratisbonae 17. September 1156.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis Amen. C. Fridericus diuina (Diuina) fauente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Quamquam rerum commutacio ex ipsa corporali institucione possit firma consistere nec ea que legittime

---

iudicio Pertii ibid. III, 477. primaevum Mstum extat in Bibliotheca caesarea Viennensi, ad quod putat pertinere Catalogi historiae ecclesiasticae numerum 29. Editiones tamen Chronici Hermanni per Canisium ac Freherum factas ac supra b. 1. laudatas, non reprehendit cl. Pertius. In omnibus autem, quae essentialia non sunt v. g. interpunctiones, abbreviationes, vocabulorum declinatio, Andreas convenit cum Hermanno, quod conferenti patebit, adeo, ut Hermannus primarius scriptor ab Andrea cum vitiis eius exscriptus esse omnino videatur. Vitia vero utrique communia potissimum in testibus latent, quae descriptoribus paulo posterioribus facile condonanda sunt, in hisce locis parenthesis signo notatis. 1) omissus consulto, ut videtur, Heinricus dux Karinthiae, quem male Hermannum nominavit; 2) de padem loco Staden; 3) omissum vocabulum: marchio ante vocabulum: Diepoldus; 4) Heinricus loco: Hermannns comes Palatinns Reni. Hos ambos secuti sunt omnes, qui hic afferuntur editores diplomatis minoris, solo sigillo muniti, hoc solo discrimine, quod Schritowini contextus ap. Rauch II. 490. bis peccet, lin. 10. si aequa pro nequa; et lin. 35. sive filiae loco: filii et filiae; nam in reliquo contextu praeviis editoribus consonat; at in testibus quosdam novos errores committit, alios adoptat, unum solum emendat, nimirum p. 491. lin. 22. recte legens: Heinricus dux Carinthiae. Primus, qui nomina testium emendare conatus est, fuit Aventinus, ut supra n. 5. observavi, haecque ementatio placuit Hochwarto n. 6. Hundio n. 9. et reliquis editoribus n. 10. 11. 12. memoratis. Solus Ebendorfer ab Haselbach n. 2. usus est exemplari brevioris privilegii muniti aurea bulla, in contextu parum aut nihil differens ab editoribns simplicis diplomatis sigillo tantummodo roborati, solummodo desiderium relinquens: ut author testes etiam in bulla aurea nominatos expressisset. Quae omnia bene notanda sunt, ut intelligatur, quod Cl. notae author absque ratione invehatur, generatim quidem in omnes brevioris privilegii editiones, vehementius autem p. 562 et 364 in editiones Hermanni apud Freherum et Haselbachii apnd Hier. Pez., quarum illa primaria diplomatis sigillati, altera primaria privilegii bullati editio est.

(legitime) geruntur ulla possint refragacione conuelli. Ne tamen rei geste ulla possit esse dubietas Imperialis debet interuenire Auctoritas. Nouerit igitur omnium christi imperiique et nostri fidelium praesens etas et futura posteritas. qualiter nos eius cooperante gracia a quo celitus pax missa est hominibus super terram, in generali nostra curia Ratispone in natiuitate sancte marie, celebrata in presencia multorum religiosorum et catholicorum litem et controuersiam, que inter Karissimum (karissimum) nostrum patruum Heinricum ducem Austrie (Austriae) et inter nepotem nostrum karissimum Heinricum ducem saxonie diu agitata extitit, super ducatum bauuariae et super marchia a superiori parte fluminis anasi, terminauimus hoc modo, quod dux austrie resignauit nobis ducatum bauuarie et dictam marchiam, quos tenebat qua resignacione facta, mox eundem ducatum bauuarie in beneficium contulimus duci saxonie, predictus uero dux saxonie cessit et renunciauit (,) omni Juri et accioni, quas habebat, ad dictam marchiam cum omnibus suis juribus et beneficiis ne autem in hoc facto honor et gloria, patrui nostri karissimi aliquatenus minuatur, de consilio et iudicio principum illustri Wadizlao duci boemiae sentenciam promulgante. quam ceteri principes approbabant, marchionatum Austriae et dictam marchiam supra anesum commutauimus in ducatum, Eundemque ducatum cum subscriptis iuribus, (deest) priuilegiis, (deest) et graciis omnibus liberalitate cesarea contulimus predicto Heinrico nostro patruo karissimo prenobili sue uxori theodorae et liberis eorundem ob singularem fauorem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Heinricum Austriae eius conthoralem prenobilem theodoram et eorum successores nec non erga terram Austriae, (deest) que clippeus et cor sacri Romani imperij esse dinoscitur, afficimur de consilio et assensu principum imperii dictis coniugibus eorum in eodem ducatu successoribus nec non prefate terre Austriae subnotatas constitutiones concessiones et indulta auctoritate Imperiali in iura plena et perpetua redactas donauimus liberaliter uigore presencium et donamus.

1. Primo quidem Quod Dux Austriae quibusvis subsidiis seu seruicijs tenetur, nec esse debet obnoxius sacro Romano Imperio nec cui-

quam alteri nisi ea de sui arbitrij fecerit libertate eo excepto dumtaxat quod imperio seruire tenebitur in vngariam duodecim uiris armatis per mensem unum sub expensis proprijs in eius rei euidenciam, Ut princeps imperij dinoscatur.

2. Nec pro conducendis feodis requirere seu accedere debet imperium extra metas austriae (austrie), Uerum in terra austrie sibi debent sua feoda conferri per Imperium et locari Quod si sibi denegaretur, ab imperio requirat et exigat litteratorie trina vice (uice) quo facto juste sua possidebit feoda sine offensa imperij acsi ea corporaliter conduxisset.

3. Dux eciam austrie non tenetur aliquam curiam accedere edictam per imperium seu quemuis alium nisi ultro et de sua fecerit uoluntate.

4. Imperium quoque nullum feodum habere debet austrie in ducatu si vero (uero) princeps aliquis uel alterius status persona nobilis uel ignobilis cujuscunque condicionis existat haberet in dicto ducatu possessiones ab ipso iure feodali dependentes, has nulli locet seu conferat nisi eas prius conduxerit, a duce austrie memorato, Cuius contrarium si fecerit eadem feoda ad ducem austriae deuoluta libere sibi extunc iure proprietatis et directi dominij pertinebunt principibus ecclesiasticis et Monasterijs exceptis dumtaxat in hoc casu, Cuncta eciam secularia Judicia banum siluestrium et ferinarum piscine et nemora in ducatu austriae debent iure feodali a duce austriae dependere.

5. Eciam debet dux austriae de nullis oppositionibus (opposicionibus) vel objectis quibuscunque nec coram Imperio (,) nec aliis quibuslibet, cuiquam respondere nisi id sua propria et spontanea facere uoluerit voluntate, Sed si uoluerit, unum locare poterit de suis uasallis sev homolegiis et coram illo secundum terminos prefixos parere potest et debet iusticie complemento, Insuper potest idem dux austrie, (deest) quando inpugnatus fuerit ab aliquo de duello, (deest) per unum ydoneum non in enormitatis macula retentum uices suas prorsus supplere, Et illum, ipsa eadem die sev princeps uel alius quisquam pro alicuius nota infamie non potest impetere nec debet inpugnare.

Preterea quidquid dux austrie in terris suis seu districtibus

suis fecerit uel statuerit, hoc imperator neque alia potencia modis seu uiis quibuscumque (quibuscunque) non debet in aliud quoquo modo in posterum commutare.

7. Et si quod deus auertat, Dux austriae sine herede filio decederet idem ducatus ad seniorem filiam quam reliquerit deuoluatur.

8. Inter duces austriae qui senior fuerit dominium habeant dictae terrae ad cuius eciam seniorem filium dominium iure hereditario deducatur ita tamen quod ab eiusdem sanguinis stipite non recedat, Nec ducatus austrie ullo vnquam tempore diuisionis alicuius recipiat sectionem.

9. Si quis in dicto ducatu residens uel in eo possessiones habens fecerit contra ducem austriae occulte vel publice est dicto duci in rebus et corpore sine gracia condempnatus.

10. Imperium dicto duci austriae contra omnes suos iniuriatores debet auxiliari et succurrere quod iustitiam (iusticiam) assequatur.

11. Dux austriae principali amictus ueste superposito ducali pileo circumdato serto pinnito baculum habens in manibus equo assidens et insuper more aliorum principum imperij conducere ab imperio feoda sua debet, Dicti ducis institutionibus et destitucionibus in ducato suo austriae est parendum.

12. Et potest in terris suis omnibus tenere iudaeos et usurarios publicos quos vvlgus (vulgus) uocat Gawertschin sine imperij molestia et offensa.

13. Si quibussuis Curijs publicis imperij dux austriae presens fuerit vnus de palatinis archiducibus est censendus et nichilominus in consessu et incessu ad latus dextrum imperij (Imperii) post electores principes obtineat primum locum.

14. Dux austriae donandi et deputandi terras suas cuicumque uoluerit habere debet potestatem liberam Si quod absit sine heredibus liberis decederet nec in hoc per imperium debet aliqualiter impediri.

15. Prefatus quoque ducatus austriae habere debet omnia et singula jura priuilegia et indulta que obtinere reliqui principatus imperij dinoscuntur,

16. Volumus eciam ut si districtus (,) et diciones dicti ducatus ampliati fuerint ex hereditatibus donacionibus empcionibus deputacionibus vel quibussuis alijs deuolucionum successionibus prefata jura priuilegia et indulta ad augmentum dicti dominij Austriae plenariae referantur.

Et ut hec nostra imperialis constitucio omni euo firma et inconuulsa permaneat presentes literas scribi et sigilli nostri inpressione (impressione) fecimus insigniri, Adhibitis idoneis testibus quorum nomina hec sunt. Pilgerimus patriarcha Aquileiae, Eberhardus salzburgensis archiepiscopus Otto frisingensis episcopus. Cvonradus patauiensis episcopus. Eberhardus babenbergensis. Harmannus brixiensis. Harthvicus ratisbonensis. Tridestinus episcopus. Dominus Vuelfo. Dux Conradus frater imperatoris. Fridericus filius regis Cvonradi. Heinricus dux carinthiae. Marchio Engielbertus de hystria. Marchio Adalbertus de staden. Marchio Deiepaldus. Herimannus comes palatinus de reno. Otto comes palatinus et frater eius Fridericus. Gebehardns comes de Sulzbach. Rodulfus comes de swineshud. Engelbertus comes hallensis. Gebahardus comes de burchuse. Comes de buthena. Comes de Pilstein. et alii quam plures.

Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi. (Monogramma) Ego Rainaldus Cancellarius uice Arnoldi magontini (Magontini) archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

Datum Ratisbone XV. Kal. oct. Indictione IIII. anno dominicae incarnationis. M. C. L. VI. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore augusto In christo feliciter. amen. anno regni eius V. Imperii II.

a) Ex Ferd. Schrötter I. Abhandl. aus dem österr. Staatsrecht. 1762. 8º S. 139 — 146, indicatis lectionibus H. Ch. von Senkenberg Gedanken von dem Gebrauch des uralten Rechts. 1759. S. 123 — 130, distinctis autem privilegiorum numeris ex Adrian. Rauch österreich. Geschichte II. Bd. 1780 S. 7 — 62; qui omnes illud ex Originali archivi Caesarei Viennensis, bulla aurea munito se exhibu-

isse profitentur, specimine quoque bullae aureae a cl. de Senkenberg in fronte tituli opusculi laudati aere excuso. *

---

* Formam huius privilegii externam primus descripsit Cl. author notae p. 360, qua descriptione gratum iis munus obtulit, quibus datum non est, inspicere dictum originale, gratiusque obtulisset, si omissis, quae characteristica aut huic membranae propria non sunt, haec solummodo, ductore Besselio, parente rei diplomaticae germanicae, prae oculis posuisset. Cum autem maximam in ea similitudinem cum, viso a se, originali Berchtesgadensi eiusdem anni 1156. 13. Januarii deprehendisse eadem pag. testetur, operae pretium duxi, describere etiam, quod manibus tracto, Berchtesgadense illud privilegium, bulla aurea munitum.

Membrana est ordinaria, mediocris crassitudinis, et oblonga, cuius altitudo sive longitudo digitos sive pollices bavaricos $16\frac{1}{2}$, Viennenses 18 assequitur non computata inferiore complicatura; latitudo autem 14 bavaricos, 16 Viennenses pollices exaequat; in plicaturis senis, similiterque in antiquissima inscriptione externa, usu ac repetitis novis inscriptionibus fere destructa, venerandae antiquitatis retinens non obscura vestigia.

Chrismon maiusculo C expressum cum signo .,. puncti majoris vicario positum est ab exordio lineae primae, invocationem divini nominis et titulum Friderici R. imperatoris continentis atque litteris uncialibus exaratae, praedicto autem puncti vicario finitae. Litteris uncialibus insuper monogramma imperatoris annunciatur, eodem puncti vicario in fine posito.

Reliquae lineae, quae omnino viginti duae numerantur, ordinaria scriptura, sive litteris maioribus ac minoribus consuetis, nitidis ac bene legibilibus scriptae inveniuntur. Littera r retenta est ex aetate Conradi III. regis, nunquam descendens infra lineam, contra, ac observavit Chronicon gottwicense I. 358, in aliis plerisque Friderici I. imp. diplomatibus. Crispaturam unicam sive simplicem ostendunt litterae F, f et ſ ab initio, in medio et fine vocabulorum. Abbreviationum signa in vocabulis eorumque contractionibus, v. g. in est, et, que, er, um, ur, us, per, prae, pro, nisi, sibi, con, pri, qui, qua, domnus, frater, ter, tre, non arbitraria, sed antiquitus consueta sensum nunquam obscurum reddunt. V pro u raro, u pro w nunquam usurpatur, neque y pro i unquam apparet; quin immo ii pro i legitur, linea undecima: termini autem — hii sunt.

Diphtongus ae nunquam separata invenitur; raro tamen per simplex e, sed plerumque per e caudatum exprimitur; quod aeque in principio, medio ac fine vocabulorum observatur, immo quandoque praeter morem communem, ex antiquo tamen usu, fit in exordio vocabuli aecclesiae pro ecclesiae.

Praeter vicarium puncti signum praedictum, nullum aliud interpunctionis occurrit, nisi simplex punctum, vices coli, semicoli et commatum gerens, in toto instrumento septuagies sexies repetitum, quod quidem iudice Besselio p. 358 et 421. principale characteristicum distinguendi diplomata utriusque Friderici I. et II. imperatorum aestimatur. Monogramma Friderici I. consuetum, trium nimirum fulcrorum, addita tamen ad latus extremum primi fulcri littera maiori O, quam in parte sua superiore littera major I mediam intersecat, prout Monogrammati Conradi III. regis addi solebat: vid. chronicon gottw. p. 545. Bulla aurea Friderici I. imperatoris, olim appensa, modo autem avulsa, adiacet, remanente superiore parte filorum sericorum, sed disruptorum, rubri co-

b. Editiones.

1) Vitus Arenbeck in Chronico Austriae producto usque ad an. 1488, in aliquibus exemplaribus usque ad an. 1503, ap. Hier. Pez in Script. Rer. Aust. I. 1195 — 1197. et idem Vitus Arenbeck in Chronico Baioariorum finito an. 1495. 1. Januar. lib. IV. Cap. 59. ap. Bern. Pez in thes. Anecd. III. III. 218 — 222. qui tamen fontem nullibi laudat.

2) J. Jac. Fugger Spiegel der Ehren des Erzherzogthums Oesterreich., opus an. 1555 scriptum, postea a Sigism. von Birken auctum et primo editum 1668 I. Tom. 168 — 170. Originale primo indicans, extans in des hochlöbl. Erzhauses gehaimen Erzschreine. Sed eius editio sequitur insertum diploma Friderici I. ap. Cuspinianum vid. infra D. 2.

2) Richart Bar. von Strein, in den Handvesten, Freiheiten etc. des Erzh. Oesterreich, verfasst 1599. edit 1601 I. Buch, quem Schrötter infra n. 10. laudandus, putavit ineditum. p. 4.

4) Melch. Goldast in Statutis et Rescriptis imperii ed. 1607. p. 85. Ex Streinio, ut videtur, nam reliquis, quae Streinium praecedunt editionibus, correctior est.

5) Auberti Miraei donationes Belgicae, scriptae 1629. lib. II. in opp. per Foppens I. 539 — 541. num. 52. ex Cuspiniano infra D. 2. laudando, hicinde tamen corrupto. *)

---

loris, membranae inferius complicatae innexa. Hosce characteres privilegii Berchtesgadensis externos diligenter attendens, quatuor dissimilitudines ab eo in exemplari privilegii maioris Viennensis, huic neutiquam favorabiles, adverti: 1) locum chrismatis in linea secunda; 2) formam ac usum quarundem litterarum; 3) inprimis multiplicem usum interpunctionis, commatis; 4) aliqua contra bonam latinitatem vitia e. g. imperiique et nostri, duci loco ducis, quibussuis loco, quibusvis, habeaut loco habeat, recedat loco recedatur. Quarum tamen dissimilitudinum tertia locum dedit momento decimo quarto, ubi desuper sermo recurret.

*) Solus, quantum scio, Aubertus Miraeus, laudatus sub n. 5. et qui eum exscripsit, Tolnerus sub num. 7. edendo longius privilegium Friderici I. loco: seniorem filiam, pessime legunt: seniorem familiam; errore nimirum vel amanuensis vel typographi, quibus usus est Miraeus; nam Miraeus, ut num. 5. notavi, constanter secutus est Cuspinianum, sub lit. D. denuo editum, qui cum omnibus melioris notae editoribus legit: seniorem filiam. Perspici ergo nequit, ubi cl. notae author p. 361 et 367. lectionem pessima peiorem: seniorem familiae, legerit, multoque minus, cur eam minori privilegio evertendo usurpaverit, cui sane lectioni praedictae nullus omnino locus est, quod sub E. n.

6) Jo. Geo. Kulpisii script. Rer. German. ed. 1685. et 1699 in accessionibus ad Aeneae Sylvii Historiam Friderici III., inter diplomata. 1 — 6, ex Goldasti statutis et rescriptis imperii n. 4.

7) Car. Lud. Tolneri Historia palatina ed. 1700 in Cod. dipl. p. 50 num. 57. ex Cuspiniano non sine erratis, sive potius ex Miraeo, novis erroribns aucto.

8) (Horneck) Anzeige von den Privilegiis des Erzh. Oesterreichs 1708, 8° p. 254 ex copia vidimata per Archiepiscopum mogunt. quod censet Schrötter l. c. 5.

9) Jo. Chr. Lünig Reichsarchiv. part. special contin. I. Forst. I. Absatz IV. oder des Reichsarch. Tom. VII. Oesterreich p. 4 — 6 num. 4. ex Cuspiniano.

10) Jo. Fr. Pfeffinger Vitriarius illustratus Tom. II. scriptus 1715, ed. 1724. p. 17 et 18. ex communicato sibi codice Mspto privilegiorum a Reichardo de Strein collecto.

11) Bayrische Deduction in der österreich. Erbfolgssache 1741. Beyl. C. et francogallice Part. II. 1743 pieces justific. lit. C. et in der österr. Beantwortung iener Deduction 1742. p. 99. fg. ex copia vidimata per Archiepiscopum Moguntinum an. 1664. edita, ut monet Schrötter infra n. 16. laudandus p. 146. not.

12) Chr. Hanthaler fasti Campilil. 1747. T. I. p. 329 — 334, ex deductione laudata 1742 p. 99.

13) P. von Ludewig Germania princeps per D. H. von Finsterwald 1747. I. Th. 449 — 452.

---

3. et sub F. momento V. n. 18. et 19 audituri sumus. Scrupulus aequalis utique non movebitur ex varietate quadam, qua insertum exemplari Lonstorfiano Friderici I. brevius privilegium, sub lit. C. exhibitum ab exemplari Hermanni ac Andreae sub littera A impresso, nonnihil recedit, quo inprimis pertinet lectio: filii filie (filiae), ut habet codex Lonstorfianus, vel: filii.. filiae, ut exprimit Herrgott I. c. p. 282; cum Hermannus et Andreas similiterque omnes editiones sub A. b. adductae, privilegii minoris Friderici I. textum solitarium et primaevum continentes, continuo legant: filii et filiae. Varietas ista ex sola interpunctione orta, quae, cum particulae: et, esse deberet vicaria, ibi incaute omissa, hic inepte bis posita est, sensum nec imperfectum, nec obscurum reddit, in favorem autem minoris privilegii Friderici I. hoc insuper testatum facit: Hermannum et Andream copiam suam non ex insertione in privilegium Friderici II. minus, sed ex antiquiori exemplari, sive ex ipso authographo, sive ex scriniis imperatoris Friderici I. desumpsisse, quod argumentum sub F. in momento XV. paucis recurret.

14) Chr. Lud. Scheid. origines Guelficae T. III. ed. 1752. p. 460 — 463. num. 31. confr. eius commentar. ibid. p. 38 — 40. et not. q. et r. et Jung in Tom. V. ed. 1780. p. 17, 18 et 102.
15) H. Ch. von Senkenberg, Gedanken von dem Gebrauch des uralteu d. Bürgerl. und Staatsr. 1759. p. 123 — 130. ex originali, quod an. 1752 a se inspectum esse testatur.
16) Fr. Ferd. Schrötter I. Abhandl. aus dem österr. Staatsrecht von den Freyheitsbriefen des dr. Erzh. Oesterr. 1762. p. 139 — 146.
17) Jo. Fr. Joachim Gesch. der t. Reichstäge II. Bd. 1762. p. 120 — 124.
18) Jo. Heinr. v. Falkenstein Historia Boiorum II. Th. 1763. p. 461 et 462.
19) I. D. Olenschlager neue Erläuterung der goldenen Bulle 1766. Urkundenbuch p. 24. num. 9.
20) Adr. Rauch. österreich. Gesch. II. Bd. 1780. qui textum latinum ex editione Senkenbergii expositioni suae germanicae in notis per multas paginas subiecit a pag. 7 — 62.
21) Joh. C. Arneth. Geschichte des Kaiserth. Oesterreich. 1827. p. 478 — 482.

C.

Fridericus II. R. imperator, Jerusalem et Siciliae rex, ad petitionem Friderici, ducis Austriae et Styriae ac domini karniolae, consanguinei sui privilegium divi Augusti, Friderici avi sui, Heinrico, quondam duci Austriae proavo eius, olim 1156. 17. Septembr. indultum, renovat et confimat; tenore eius ad verbum inserto.

Veronae mense Junio 1245.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridericus secundus. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augu-

stus. Jerusalem rex et Sycilie. Justis principum nostrorum petitionibus conscendere (condescendere) cogimur, quas nisi fauorabiliter audiremus, obaudire quod iuste petitur per iniuriam uideremur. Eapropter per presens privilegium nouerit tam presens etas, quam successura posteritas. quod Fridericus Dux Austrie et Styrie. ac dominus Karniolae dilectus princeps, ac consanguineus noster, quoddam priuilegium diui Augusti Imperatoris quondam Fridrici aui (domini) nostri memorie excolende, Heinrico quondam Duci Austrie proauo suo liberaliter dudum indultum nostro culmini presentauit, supplicans attentius, vt ei illud renouare, et omnia que continentnr in eo confirmare de nostra gratia dignaremur, cuius tenor per omnia talis est.

„In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Fridricus diuina „clementia fauente Romanorum Imperator Augustus. Quamquam „rerum Commutatio, ex ipsa corporali institutione possit firma „consistere, vel ea (ut ea) que legaliter geruntur, nulla ualeant „refragatione conuelli. Nequa (Si aequa) tamen possit esse geste „rei dubietas, nostra debet interuenire Imperialis auctoritas. No„uerit igitur omnium Christi imperii(que) nostri fidelium pre„sens etas, et successura (successiva) posteritas, qualiter nos eius „cooperante gratia a quo celitus in terram pax est missa homini„bus. In curia generali Ratispone in Natiuitate sancte Marie „virginis celebrata in presentia multorum religiosorum et Katho„licorum principum litem et controuersiam, que inter dilectissi„mum patruum nostrum Heinricum Ducem Austrie, et carissi„ mum nepotem nostrum Heinricum Ducem Saxonie diu agitata „fuit de Ducatu Bawarie hoc modo terminauimus, quod Dux „Austrie, nobis resignauit Ducatum Bawarie, quem statim in be„neficium concessimus Duci Saxonie. Dux autem Bawarie resig„nauit nobis Marchiam Austrie, cum omni iure suo, et cum omni„bus beneficiis que quondam Marchio Livpoldus habebat a Ducatu „Bawarie. Ne autem in hoc facto aliquatenus inminui uideatur ho„nor et gloria dilectissimi patrui nostri, de consilio et Judicio prin„cipum. Wadizlao (Wadislao) Illustri (Illustrissimo) Duce Boemie, „sententiam promulgante, et omnibus principibus approbantibus „Marchiam Austrie, in Ducatum commutauimus (mutavimus) et

„eidem Ducatum cum omni iure prefato patruo nostro Heinrico „et prenobilissime vxori sue Theodore in beneficium concessimus „perpetuali iure sanctientes. Vt ipsi et liberi eorum post eos „indifferenter filii filie eundem Austrie Ducatum hereditario iure „a regno teneant et possideant Si autem predictus Dux Austrie „patruus noster, et vxor eius absque liberis decesserint, liberta- „tem habeant eundem Ducatum affectandi cuicumque uoluerint. „Statuimus quoque ut nulla magna uel parua persona in eiusdem „Ducatus regimine, sine Ducis consensu uel permissione aliquam „iustitiam presumat exercere. Dux uero Austrie, de ducatu suo „aliud seruitium non debet imperio. nisi quod ad curias quas im- „perator prefixerit in Bawaria euocatus ueniat-nullam quoque „expeditiouem debeat, nisi forte quam imperator in regna uel „prouincias Austriae uicinas ordinauerit. Ceterum, vt hec nostra „Imperialis constitucio omni euo rata et inconuulsa permaneat „presentem inde paginam conscribi et sigilli nostri inpressione „insigniri iussimus, adhibitis tessibus ydoneis quorum nomina „sunt hec. Pyligrinus aquilegensis Patriarcha. Eberhardus Ar- „chiepiscopus Salzburgensis. Otto Frisigensis Episcopus. Chun- „radus patauiensis Episcopus. Eberhardus Babenbergensis epi- „scopus. Hartmannus Brixiensis Episcopus. Hartwicus Ratispo- „nensis Episcopus et Tridentinus episcopus. Domnus Welfo. Dux „Chunradus frater imperatoris. Fridricus filius Regis Chunradi „Heinricus Dux Karinthie. Marchio Engelbertus de Istria. Mar- „chio Albertus de Staden. Marchio Diepoldus. Hermannus Pala- „tinus Comes de Reno. Otto comes palatinus, Et frater eius „Fridricus et alii quam plures, Signum domni Fridrici Romano- „rum imperatoris Inuictissimi (Monogramma). Ego Ronaldus „cancellarius, uice Arnoldi Maguntini Archiepiscopi et archican- „cellarii (recognovi), regnante domno Fridrico Romanorum im- „peratore in Christo. Datum Ratispone XV. Kalendas octobris „Indictionis llllte. Anno dominice incarnationis. M. C. LVI. fe- „liciter amen. Anno regni eius Quinto Imperii secundo.“

Nos itaque. qui fidem et obsequia nostrorum principum non patimur irremunerata transire, Attendentes fidem puram et deuo- tionem sinceram. quam predictus Dux ad maiestatis nostre per-

sonam et sacrum imperium habet, pro gratis quoque seruitiis que nobis et imperio exhibuit actenus fideliter et deuote et que exhibere poterit, inantea gratiora, ipsius supplicationibus fauorabiliter inclinati. suprascriptum priuilegium diui Augusti aui nostri predicti. huic nostro priuilegio de uerbo ad uerbum inseri iussimus, et omnia que continentur in eo. de imperialis preminencie (praeeminentiae) nostre gratia confirmantes. Statuimus igitur, et imperiali sanctimus edicto, quatenus nullus Dux. nullus Marchio, nullus princeps nullus Comes. nullus prelatus, nulla denique persona alta uel humilis, Ecclesiastica uel mundana contra presentis innouationis et confirmationis nostre tenorem uenire presumat. quod qua (qui) presumpserit, indignationem nostri culminis, et penam mille librarum auri se noverit incurrisse. quarum medietas camere nostre, reliqua uero parti passe iniuriam applicetur. Ad huius igitur innouationis et confirmationis nostre futuram memoriam et robur perpetuo ualiturum. presens priuilegium fieri et bulla aurea typario nostre maiestatis inpressa iussimus communiri. Huius rei testes sunt Chunradus frisigensis Episcopus. Heinricus Babenbergensis electus. Fridricus illustris filius regis castelle. Rudolfus Comes de habspurch. Ludwicus comes de Helfenstaein. Albertus de Nyffe et alii quam plures. Signum domni nostri Fridrici dei gratia Inuictissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti. (Monogramma) Jerusalem et Sycilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis. M. CC. XLV. Mense Junio IIItie indictionis imperante domno nostro Fridrico gloriosissimo Romanorum imperatore semper Augusto. Jerusalem et Sycilie (Siciliae) rege, Romani imperii eius anno uicesimo. V. Regni Jerusalem. XXI. Regni uero Sycilie. (Siciliae). XLVII. Datum Verone anno. mense indictione prescriptis.

a. Ex libro copiali Passaviensi IIItio, qui dicitur Lonstorfianus sive Lonsdorfianus, eoquod Otto, dictus de Lonstorf, episcopus Patauiensis, ab anno 1254 — 1265, hunc librum scribi fecerit, fol. 132. num. 231. Cnfr. Mon. Boic. XXVIII. P. II. sect. II. p. 193 et 194.

b. *Editiones.*

1) Marq. Herrgott genealogia diplomatica domus habsburgicae Cod. probat. T. II. Part. I. ed. 1737. p. 281 — 283. Num. 342. fontem, ex

quo hausit, indicans Cod. Msptum. Bibliothecae Aug. Caesar. Vindob. in hist. profan. num. 678., cuius etiam lectiones, quandoque meliores, de caetero arbitrariae, bina vice peiores indicatae sunt signo parenthesis.

2) Nostra praesens editio ex cod. coaevo Passav. laudato, quae primo ex hoc fonte comparuit Tom. I. nov. collect. sectione altera siv. cod. Passav. p. 354 — 357. num. 107. *)

D.

Fridericus II. R. imperator, Jerusalem et Siciliae rex, ad petitionem Friderici, ducis Austriae et Styriae ac domini Karniolae, consanguinei sui, privilegium illud, quo Fridericus I. Augustus, avus suus, ducatum Austriae eiusque terram variis et amplissimis praerogativis exornasse perhibetur, 1156. 17. Sept., renovasse, confirmasse et augmentasse dicitur, tenore eius ad verbum inserto. Veronae mense Junio 1245.

In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis, Amen.

Fridericus II. (secundus) diuina fauente clementia Romanorum

*) Non oportebat autem in editione hac novissima praemittere breviori exemplari titulum sive inscriptionem nullo modo illi convenientem, sed ex utroque privilegio ampliori desumtam, Friderici I. et Friderici II., priori sub lit. B. exhibito, altero sub lit. Dexhibendo. Constat quidem ab editoribus utrumque exemplare, minus ac maius, passim confundi, qui error etiam accidit Herrgotto, praedicto editori minoris privilegii confirmatorii Friderici II. imp., et nichilominus laudat cl. Fuggerum, maioris solius Friderici I. imp. privilegii editorem p. 283. not. 1 et 2. Differentias sub lit. E. et G. manifestabo.

Imperator, semper Augustus, Hierusalem et Siciliae Rex. Justis Principum nostrorum petitionibus condescendere cogimur: quas nisi fauorabiliter audiremus, obaudire quod iuste petitur, per iniuriam male audiremus (videremur). Eapropter per praesens priuilegium nouerit tam praesens aetas, quam successura posteritas, quod noster excellentissimus Princeps Fridericus Dux Austriae et Stiriae, ac Dominus Carniolae, dilectus Princeps ac consanguineus noster, quoddam priuilegium diui Augusti imperatoris quondam Friderici, aui nostri *scilicet, primi eius nominis*, memoriae recolendae Heinrico quondam duci Austriae proavo suo dudum indultum, nostro culmini praesentauit, supplicans attentius, vt ei illud innouare, et omnia quae continentur in eo, confirmare de nostra gratia dignaremur. cuius tenor per omnia talis est.

„In nomine sanctae et indiuiduae Trinitatis, Amen.

„Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator „Augustus. *primus ejus nominis*. Quamquam rerum commutatio „ex ipsa corporali institutione possit firma consistere: nec ea „quae legitime geruntur, ulla possint refragatione conuelli: ne „causa (tamen) rei gestae vlla possit esse dubietas, Imperialis „debet interuenire autoritas. Nouerit igitur omnium Christi im-„periique nostri fidelium praesens aetas, et futura posteritas, qua-„liter nos, eius cooperante gratia, a quo coelitus pax missa est „hominibus super terram, in generali nostra curia Ratisponae, „in natiuitate S. (sanctae) Mariae celebrata, in praesentia multo-„rum religiosorum et catholicorum, litem et controuersiam, quae „inter charissimum nostrum patruum Heinricum Ducem Austriae, „et inter nepotem nostrum charissimum Heinricum Ducem Saxo-„niae, diu agitata extitit, super ducatu Bauariae, et super Mar-„chia, a superiori fluminis parte Anasi, terminauimus hoc modo: „quod Dux Austriae resignauit nobis ducatum Bauariae, et dic-„tam Marchiam, quos tenebat. Qua resignatione facta, mox eun-„dem ducatum Bauariae in beneficium contulimus Duci Saxoniae. „Praedictus vero Dux Saxoniae cessit et renunciauit omni iuri et „actioni, quas habebat ad dictam Marchiam, cum omnibus suis „iuribus et beneficiis. Ne autem in hoc facto honor et gloria

„patrui nostri charissimi aliquatenus minuatur, de consilio et iu-
„dicio principum, illustri Vladislao Duce Bohemiae sententiam pro-
„mulgante, quam caeteri principes approbabant, Marchionatum
„Austriae, et dictam Marchiam supra Anasum commutauimus in
„Ducatum: eiusdemque (eundemque) ducatum cum subscriptis
„iuribus, priuilegiis et gratiis omnibus liberalitate Caesarea contu-
„limus Heinrico praedicto patruo nostro charissimo, praenobili
„suae vxori Theodorae, et liberis eorundem, ob singularem fauo-
„rem, quo erga dilectissimum patruum nostrum Heinricum Au-
„striae Ducem, eius conthoralem praenobilem Theodorum, et eo-
„rum successores, nec non erga terram Austriae, quae clypeus
„et cor sacri Romani Imperii esse dinoscitur, afficimur, de con-
„silio et assensu principum Imperii, dictis coniugibus, eorum in
„eodem ducatu successoribus, nec non praetactae terrae Austriae
„sub notatas constitutiones, concessiones, et indulta, autoritate Impe-
„riali in iura plena et perpetua redactas, donauimus liberaliter vigore
„praesentium, et donamus: primo quidem, quod Dux Austriae
„quibusuis subsidiis et seruitiis (non) tenetur, nec esse debet
„obnoxius sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea
„de sui arbitrii libertate fecerit: eo excepto duntaxat, quod Im-
„perio seruire tenebitur, in Hungariam duodecim viris armatis
„per mensem vnum sub expensis propriis, in eius rei euidentiam
„vt Princeps Imperii agnoscatur (dignoscatur). Nec pro condu-
„cendis feudis requirere seu accedere debet Imperium extra
„metas Austriae, verum in terra Austriae sibi debentur (debent)
„sua feuda conferri per Imperium, et locari. Quod si sibi de-
„negaretur, ab Imperio requirat, (et) exigat literatorie trina
„vice: quo facto, iuste possidebit sua feuda, sine offensa Im-
„perii, ac si ea corporaliter conduxisset. Dux etiam Austriae non
„tenetur aliquam curiam accedere, edictam per Imperium, seu
„quemuis alium, nisi vltro de sua fecerit voluntate: Imperium
„quoque nullum feudum habere debet, Austriae in ducatu. Si
„vero Princeps aliquis, vel alterius status persona nobilis vel
„ignobilis, cuiuscunque conditionis existat, haberet in dicto
„ducatu possessiones ab ipso iure feudali dependentes, has nulli
„locet seu conferat, nisi eas prius conduxerit a Duce Austriae

„memorato: cuius contrarium si fecerit, eadem feuda ad Ducem „Austriae devoluta, libere sibi ex tunc iure proprietatis et directi „dominii pertinebunt, principibus ecclesiasticis et monasteriis „exceptis duntaxat in hoc casu. Cuncta etiam secularia iudicia, „bannum sylvestrium et ferinarum, piscinae et nemora in ducatu „Austriae debent iure feudali a Duce Austriae dependere. Etiam „debet Dux Austriae nullis oppositionibus vel obiectis quibuscunque, „nec coram Imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam respondere, nisi „id sua propria et spontanea voluerit facere libertate (voluntate): „sed si voluerit vnum locare, poterit de vasallis seu homologiis, et „coram illo secundum terminos praefixos parere potest, et debet „iustitiae complemento. Insuper potest idem Dux Austriae, cum „(quando) impugnatus fuerit ab aliquo de duello per vnum ido- „neum, non in enormitatis macula detentum (retentum), vices „suas prorsus supplere. Et illam ipse eadem die (Et dominus „ipsius eadem die) seu princeps, vel alius quisquam pro alicuius „nota infamiae non potest impetere, nec debet impugnari (im- „pugnare). Praeterea quicquid Dux Austriae in terris suis seu „districtibus seu fecerit, vel statuerit, hoc Imperium nec alia „potentia modis, seu viis quibuscunque debet alio quoquo modo „in posterum commutare. Et si, quod Deus auertat, Dux Au- „striae sine haerede filio decesserit (decederet), idem Ducatus ad „seniorem filium, quam reliquerit, deuoluatur. Inter Duces Au- „striae qui senior fuerit, dominium habeat dictae terrae. Ad cuius „etiam seniorem filium (filiam) iure haerediturio deducatur: ita tamen, „quod ab eiusdem sanguinis stipite non recedat (recedatur), nec „ducatus Austriae vllo vnquam tempore divisionis alicuius reci- „piat sectionem. Siquis in dicto ducatu residens, vel in eo pos- „sessiones habens, fecerit contra Ducem Austriae occulte vel „publice, est dicto Duci in rebus et corpore sine gratia con- „demnatus. Imperium dicto Duci Austriae contra omnes suos „iniuriatores debet auxiliari et succurere, quoad (quod) iustitiam „assequatur. Dux Austriae principali indutus veste, supposito „pileo ducali, circundato serto pinnito, baculum habens in ma- „nibus, equo insidens (assidens) et insuper more aliorum princi- „pum Imperii, conducere ab Imperio feuda sua debet. Dicti Du-

„cis institutionibus et destitutionibus in ducatu Austriae suo est „parendum. Et potest in terris suis omnibus tenere Judaeos, „et vsvrarios publicos, quos vulgus vocat Gewerteſchin (Gauerstlim), „sine Imperii molestia et offensa. Si quibusuis imperii curis „(curiis) publicis Dux Austriae praesens fuerit, vnus de Palati- „nis Archiducibus est censendus. Et nihilominus in concessu et „incessu, ad latus dextrum imperii, post Electores principes ob- „tineat primum locum. Dux Austriae donandi et deputandi ter- „ras suas cuicunque voluerit, habere debet potestatem liberam, „si, quod absit, sine haeredibus liberis decederet: nec in hoc „per Imperium debet aliqualiter impediri. Praefatus quoque Du- „catus Austriae habere debet omnia et singula iura, privilegia, „et indulta, quae obtinere reliqui principatus Imperii dinoscun- „tur. Volumus etiam, vt si districtus et ditiones dicti ducatus „ampliati fuerint ex haereditatibus, donationibus, emptionibus, „deputationibus, vel quibusuis aliis deuolutionum successibus „(successionibus), praefata iura, priuilegia, et indulta ad aug- „mentum dicti dominii Austriae plenarie referantur. Et vt haec „nostra Imperialis constitutio omni aeuo firma et inconuulsa per- „maneat, praesentes literas scribi, et sigilli nostri impressione „fecimus insigniri, adhibitis idoneis testibus, quorum nomina „sunt haec: Pilegrinus (Pilgerimus) Patriarcha Aquileiensis, „Eberhardus Archiepiscopus Salisburgensis (Salzeburgensis), Ottho „frisingensis episcopus, Chunradus Bathauensis episcopus, Eber- „herdus Babenbergensis episcopus, Hartmannus Brixniensis (Brixi- „nensis), Hartwicus Ratisponensis et Tridentinus episcopus (epis- „copi), Dominus Welffo, Dux Chunradus frater Imperatoris „*Friderici primi Caesaris*: *Palatinis Rheni* Fridericus „filius regis Chunradi: Heinricus Dux Carinthiae, Marchio En- „gelbertus de Histria, Marchio Albertus de Staden. Marchio, „Deopaldus (Diepoldus) *de Vochburg*, Hermannus Palatinus „comes de Rheno, Ottho Comes Palatinus, et frater eius Fride- „ricus *de Schiern et Witelspach*, Eberhardus comes de „Sultzbach, Rudolfus Comes de Sweinsheut (Schweinhunt), Alber- „tus (Engelbertus) Comes Hallensis, Eberhardus (Gebehardus) „Comes de Purchausen, Comes de Putina, Comes de Peilstain,

„et (alii) quamplures, etc (abundat) Signum etc. (Domini Fride-
„rici Romanorum Imperatoris invictissimi (Monogramma)). Ego
„Reynaldus Cancellarius vice Arnoldi Moguntini Archiepiscopi
„et Archicancellarii recognovi, regnante Domino Friderico Ro-
„manorum Imperatore Augusto, *eius nominis primo*, in Chri-
„sto. Datum Ratisponae quintodecimo Cal. Octobris, Indic-
„tione quarta, anno Dominicae incarnationis M. C. LXVI. (MCLVI.)
„felicer, Amen. Anno regni eius quarto (quinto), Imperii secundo."
Nos itaque, qui fidem et obsequia nostrorum Principum non patimur irremunerata transire, attendentes fidem puram et deuotionem synceram, quam praedictus Princeps (Dux) ad Maiestatis nostrae personam et sacrum Imperium habet, pro gratis quoque seruitiis quae nobis et Imperio exhibuit hactenus fideliter et deuote, et quae exhibere poterit vt inantea gratiora ipsius supplicationibus fauorabiliter inclinati, suprascriptum priuilegium D. (Divi) Augusti aui nostri praedicti, huic nostro priuilegio de verbo ad verbum inseri iussimus, omnia, quae continentur in eo de Imperialis praeeminentiae nostrae gratia confirmantes. Igitur competit etiam nostro Imperiali imperio, illustri Principi nostro praedilecto Friderico, speciali gratia gratiando. Quapropter concedimus ei, et damus eidem illustri principi Duci Austriae haec subscripta, ad habendum pro iure plenario, vt nullus suorum feudalium, aut suarum terrarum inhabitantium, vel possidentium, nulli alteri aliquid iuris obediat, excepto etiam sibimet ipso nostro praedilecto Friderico principi Duci Austriae, ac suas vices supplentibus, sive potestatem habentibus. Concedimus etiam nostro illustri principi Duci Austriae crucem nostri diadematis, suo principali pileo sufferendam. Volumus etiam, vt dictus (dilectus) Dux Austriae omnia sua feudalia siue iura liberaliter suscipiat, datione sine omni. Igitur iura omnia praescripta illustris Austriae rite et liberaliter tenere debeat, in omnibus suis terris quas iam possidet, et in futurum possidebit. Statuimus igitur, et Imperiali sancimus edicto, quatenus nullus Rex, nullus Marchio, nullus Princeps nullus Comes, nullus Praelatus, nulla denique persona alta vel humilis, Ecclesiastica vel mundana, contra praesentis innouationis et confirmationis nostrae tenorem venire praemat. Quod

qui praesumpserit, indignationem nostri culminis, et poenam mille librarum auri se nouerit incurrisse: quarum medietas Camerae, reliqua vero parti passae iniuriam applicetur. Ad hujus igitur innovationis et confirmationis nostrae futuram memoriam et robur perpetuo valiturum, praesens priuilegium fieri, et bulla aurea typario nostrae Maiestatis impressa, iussimus communiri. Huius testes sunt, Conradus frisingensis episcopus, Henricus Bambergensis electus, Fridericus filius illustris Regis Castellae, Rudolphus nobilis Comes de Habspurg, Rodomerus (Ludovicus) Comes de Helfenstein, Albertus de Niffre (Niffe), et alii quam plures, et Caetera (abundant). Signum, etc. (Domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum Imperatoris (Monogramma) semper Augusti Hierusalem et Siciliae Regis). Acta sunt haec anno Dominicae incarnationis M. CC. XLV. mense Junio, tertia indictione: imperante Domino nostro Friderico gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierusalem et Siciliae rege, Romani Imperii eius anno vigesimo quinto, regni Hierusalem vicesimo primo, regni vero Siciliae quadragesimo septimo. Datum Veronae, anno, mense, et indictione praedictis.

a. Ex Joannis Cuspiniani Austria editionis francofurti 1601. p. 32—35, qui primus archetypon in archivis principum Austriae se videsse et huc adscripsisse testatur, anno 1527, quem annum ibidem p. 46. ipse indicat. Contextus quandoque incompletus sive per etc. notatus, suppletus est ex Vito Arenpeck in eius chronicis Austriae ac Bauariae, per Hieron. Pez. script. Rer. Austr. I. 1195—1197. et 1216 ac 1217, nec non per Bern. Pez. Thesaur. Anecd. III. III. 218— 222. editis, ex quibus etiam lectiones variantes ope signi parenthesis adductae sunt, quo tamen signo quandoque lectiones etiam meliores indicantur.

b. Editiones.

1) Vitus Arenpeck in chronico Austr. ap. H. Pez. I. 1216. 1217. non repetito privilegio Friderici I. v. supra B. 1.

2) Joa. Cuspinianus in Austria, anno 1527. scripta, edita primo 1553 et cum accessionibus 1601. p. 32—35, qui architypon

Friderici II. in archivo principum Austriae se vidisse et huc adscripsisse testatur. *)

3) et 4) Fugger Ehrenspiegel I. 184. et Strein Handvesten, non repetito Friderici I. privilegio.

5) Jo. Limnaeus Tom. II. iuris publi. germ. ed. 1657. libr. V. lit. Bbb., qui sua ex Cuspiniano hausit.

6) Melch. Goldast in constitut. imper. edit. 1673 p. 302 — 304, qui desumpsit ex Cuspiniano, ut videtur, additis hinc inde lectionibus variantibus.

7) Du Mont corps diplomatiq. T. I. 1726. pag. 81 seq. n. 136. Cnfr. p. 190. n. 318. prima vice ex transsumto Leonardi episcopi Passav. 1437. 17. April.

8) J. Chr. Lünig Cod. germaniae diplom. II. T. Ed. 1733. p. 551 — 558. num. 57. secunda vice ex transsumto Leonardi episcopi Passav. mox laudato.

9) Schrötter l. c. sub B. 16. p. 150. n. 20. non repetito Friderici I. privilegio.

E.

Discrimen, quod intercedit inter utrumque exemplar diplomatis Friderici I. 1156., brevius ac longius.

1) Conveniunt quidem in titulis tam ipsius imperatoris Friderici I., quam utriusque Heinrici, ducis Bavariae et Saxoniae, ac

---

*) In multis quidem lectionibus hallucinatus est Cuspinianus, nisi eas potius eius descriptori ac editori volueris adscribere. Invenire tamen Msptum Codicem nequivi, et cum antiquiores quoque Arenpeckii codices Mspt. deessent, unius Cuspiniani editionem, quae integrum diploma confirmatorium longius Friderici II. imp. exhiberet, repetere necesse habui. Usquedum ergo melior editio Cuspiniani ex Mspto eius Authographo, quod certissime in Bibliotheca Caesarea Viennensi habetur, compareat, sufficiat illum cum Arenpeckio comparasse, inprimis cum editione Hieron. Pezii S. Rer. Austr. I. 1195 — 1197 et 1216. 1217, favendo tamen in hac comparatione lectioni meliori, partim apud Cuspinianum inventae, partim in Schrötteri editione l. c. B. 16 et D. 6. exhibitae. Nam constat, Cuspinianum multa meliori latinitati reddidisse, aliqua, litteris cursivis expressa, ex Aventino aut proprio marte addidisse, per interpunctiones, praesertim in inserto privilegio Friderici I. imp. testibus interpositas, sensum contextus turbasse, inprimis autem peccasse in anno dati privilegii hujus inserti, 1166. loco 1156.

ducis Austriae; insuper in narratione facti principalis in curia solemni Ratisbonensi super erectione ducatus Austriae; in facultate quoque ducatum Austriae affectandi, nimirum illum pro libitu aliis expetendi; denique in testibus omnibus principibus ecclesiasticis et in decem testibus primis laicis principibus, quibus tamen in diplomate ampliori sex alii accesserunt.

2. Differunt autem primo in regione aut regionibus, quae in novum Austriae ducatum convertebantur; cum in breviori diplomate nonnisi marchia nominetur, in prolixiori autem marchia supra Anasum et marchionatus distinguantur.

3. Secundo differunt in ordine successionis haereditariae, qua ducatus Austriae ad posteros primi ducis ejusque coniugis ducissae transeat. Brevius enim diploma statuit, ut ipsi et liberi eorum post eos indifferenter, filii et filiae, eundem ducatum teneant et possideant; alterum amplissimum talem solummodo in specie successionis modum sancit, ut, si dux Austriae sine haerede filio decesserit, idem ducatus ad seniorem filiam, quam reliquerit, devolvatur.

4. Cui affinis est quaedam in ordine successionis ex testamento variatio; cum brevius diploma per expressionem: affectandi, approbationem imperii ac ministerialium provincialium requirat, alterum sive longius donandi modum per imperium impediri posse neget.

5. Tertio et quidem magnopere differunt in dependentia ducatus Austriae ab imperio. In breviori namque diplomate haec dependentia saepius sancitur et declaratur. Nimirum, ut, quemadmodum ducatus Austriae nunc primo in beneficium ab Imperatore concessus est, ita in posterum eodem iure a regno teneatur et possideatur; ut dux Austriae de ducatu eius aliud servitium non debeat imperio, nisi quod ad curias, quas imperator praefixerit in Bavaria, evocatus veniat; ut nullam quoque expeditionem debeat, nisi forte, quam imperator in regna vel provincias Austriae vicinas ordinaverit. — E contrario diploma copiosius ab omni dependentia ducatum Austriae eximit, nec ad aliud subsidium imperio praestandum obligat, nisi ut in Hungariam duodecim viris armatis per unum mensem sub expensis propriis im-

perio servire teneatur; de caeteo enim dux Austriae quibusvis subsidiis et servitiis non tenetur, nec debet esse obnoxius S. Romano imperio, nisi iis, quae de sui arbitrii libertate fecerit; non tenetur etiam aliquam curiam accedere, nisi ultro de sua fecerit voluntate; nec pro conducendis feudis requirere seu accedere debet imperium extra metas Austriae, verum in terra Austriae sibi debent sua feuda conferi; quod si sibi denegaretur, ab imperio requirat et exigat literatorie (per litteras) trina vice; quo facto iuste possidebet sua feoda, sine offensa imperii, ac si ea corporaliter conduxisset.

6. Quarto brevius diploma ducatum Auctriae paucis verbis immunem reddit ab omni alia iustitia, in ducatus regimine, sine ducis consensu vel permissione exercenda. — Longissimum vero diploma non solum pluribus in specie statutum istud exponit et amplificat; sed et multa nova subiungit privilegia, nullo modo in aliqua brevioris diplomatis expressione saltem indirecte contenta. Exemptionis enim privilegio, successionis etiam lege simul computatis, viginti duo diversa privilegia distinxit Goldastus in editione longioris instrumenti supra ad B. num. 3, quae Rauch in historia Ausr. II. p. 41 — 58. supra ad B. num. 20. in numeros sedecim contraxit, quem postremum sequi in iis recensendis e re visum est.

7. Num. 5^{tus} et 6^{tus} super ista exemptione haec, quae sequuntur, non ordine, sed tribus seiunctis in locis statuunt. — Etiam debet dux Austriae de nullis oppositionibus vel obiectis quibuscumque, nec coram imperio, nec aliis quibuslibet, cuiquam respondere nisi id sua propria et spontanea facere voluerit voluntate; sed si voluerit unum locare, poterit de suis vasallis seu homoligiis, et coram illo secundum terminos praefixos parere potest et debet iustitiae complemento. Insuper potest idem dux Austriae, quando impugnatus fuerit ab aliquo de duello, per unum idoneum, non in enormitatis macula detentum, vices suas prorsus supplere, et illum ipsa eadem die seu princeps vel alius quisquam pro alicuius nota infamiae non potest impetere, nec debet impugnare. Praeterea quidquid dux Austriae in terris suis seu districtibus suis fecerit, vel statuerit, hoc imperator nec ulla potentia modis seu viis qui-

buscumque non debet in aliud quoquo modo in posterum commutare. — Dicti ducis institutionibus et destitutionibus in ducatu suo Austriae est parendum.

8. Summa privilegiorum, quae in longiori diplomate addita, nulloque modo in breviori contenta sunt, illa est, quae numero 15^to^ sive penultimo legitur: „Praefatus quoque dux Austriae habere debet omnia et singula iura, privilegia et indulta, quae obtinere reliqui principatus imperii dinoscuntur.

9. Singula autem percurrentes, praemittemus obvia, aliis principibus imperii communia, dein reliqua exhibituri, quae, saltem temporibus Friderici Imper. singularia censeri debent.

10. Ad primam classem sequentes numeri referri possunt: numerus 9nus: siquis, in dicto ducatu residens vel in eo possessiones habens, fecerit contra ducem Austriae, occulte vel publice, est dicto duci in rebus et corpore sine gratia condempnatus.

Num. 10^mus^: Imperium dicto duci Austriae contra omnes suos iniuriatores debet auxiliari et succurrere, quoad iustitiam consequatur.

Num. 12^mus^: Potest (dux Austriae) in terris suis omnibus tenere iudaeos et usurarios publicos, quos vulgus vocat Gawertschin (Cowertschen), sine imperii molestia et offensa.

Num. 14^tus^: Dux Austriae donandi et deputandi terras suas, cuicumque voluerit, habere debet potestatem liberam, si, quod absit, sine haeredibus liberis decederet.

11. Singularibus accensendi erunt.

Num. 4^tus^: Imperium quoque nullum feodum habere debet Austriae in ducatu. Si vero princeps aliquis vel alterius status persona, nobilis vel ignobilis, cuiuscumque conditionis, existat, qui haberet in dicto ducatu possessiones ab ipso (imperio) iure feodali dependentes, has nulli locet, seu conferat, nisi eas prius conduxerit a duce Austriae memorato; cuius contrarium si fecerit, eadem feoda ad ducem Austriae devoluta, libere sibi extunc iure proprietatis et directi dominii pertinebunt; principibus ecclesiasticis et monasteriis exceptis duntaxat in hoc casu. — Cuncta etiam saecularia iudicia, bannum sylvestrinum et ferina-

rum (legatur: sylvestrium ferinarum), piscinae et nemora in ducatu Austriae debent iure feodali a duce Austriae dependere.

Num. 11mus: Dux principali amictus veste, superposito ducali pileo, circumdato serto pinnito, baculum habens in manibus, equo assidens et insuper more aliorum principum imperii conducere ab imperio feoda sua debet.

Num. 13tius Si quibusvis curiis publicis imperii dux Austriae praesens fuerit, unus de palatinis archiducibus est censendus, et nichilominus in consessu et incessu ad latus dextrum imperii post electores primum habeat locum.

Num. 16tus et ultimus: Si districtus et ditiones dicti ducatus ampliati fuerint ex haereditatibus, donationibus, emptionicus, vel quibusvis aliis devolutionum successionibus, praefata iura, privilegia et indulta ad augmentum dicti dominii Austriae plenarie referantur. *)

---

*) Ex allatis differentiis quaedam sibi plane contradicunt, quales inprimis tertia et quarta sunt, quae utrumque privilegium non sinunt simul esse verum, quod ante haec tempora censuerunt illi viri eruditi et collectores, qui utrumque privilegium, brevius et longius, friderici I. imp. edi curarunt, sub A. num. 12. 15. 17. 18. 19. et sub C. num. 4. 9. 10. 11. 18. nominati. Alii etiam, quibus longius solum privilegium friderici I. imp. edere placuit, nihilominus utrumque conciliari posse putaverunt, quo pertinent Chr. Hanthaler sub C. n. 12. et Ch. Lud. Scheid ibid. n. 14. adducti. Hic alter vero Tom. III. 40. not. r., licet tunc an. 1752. utrumque privilegium, minus et maius, friderici I. imp. mutilum proclamaret, postea tamen sententiam suam mutavit, et ex primis fuit, qui teste Jungio ibid. Tom. V. p. 17. 18 et 102. inter emendanda et supplenda, maius friderici I. imp. privilegium suspectum habuit, propositis duabus potissimis dubitationis suae rationibus. Multi subinde scriptores historici dubia super authenticitate longioris huius privilegii friderici I., moderatissime tamen, moverunt; ex quibus duos tantum nomino celebres nostri temporis authores, K. Th. Gemeiner in der Geschichte des Herzogthums Bayern unter Friedrich I. p. 81. not. 191., et Cl. Mannertum nostrum in der Gesch. von Bayern I. 172—174. Quae ideo hic dicta sunto, ne me primum quis privilegi brevioris defensorem, longioris autem impugnatorem arbitretur. Immo vero neminem novi, neque scriptorem Austriacum, multo minus alium extra Austriam degentem ac scribentem, qui brevius friderici I. privilegium impugnandum sibi sumpserit, praeter Cl. authorem notae, numero 107. Mon. Boic. XXVIII. P. II. sect. II. superadditae, qui ibi p. 357—359. totus in eo est, ut longius privilegium defendat, brevius autem, recens a se ex codice Passaviensi tertio sive Lonstorfiano editum, oppugnet et quasi e mundo historico diplomaticoque eliminet, quod iam antea bina vice diversis in locis ephemeridum Viennensium oder Wiener Jahrbüchern XXXVII. Bd. 246—253 et XXXIX. Bd. Anzeigebl. num. II. 22—26. tentavit.

F.

Momenta pro justo iudicio super utrisque dictis exemplaribus diplomatis Friderici I. imp. 1156. ferendo.

1. *Momentum primum.* **Duo ab origine diplomata data sunt eidem primo duci Austriae Heinrico; unum sigillo, vel impresso vel appenso, munitum, alterum vero bulla aurea roboratum.**

Hoc longo retro usu comprobatur non solum in chartis conventionum mutuarum, quae ambas contrahentium partes, et in privilegiis generalibus, renuntiationibus publicis ac constitutionibus imperialibus, quae multos principes concernebant; sed etiam in chartis donationum, concessionum et gratiarum, datis uni soli personae, vel morali v. g. ecclesiae, vel soli principi, ecclesiastico aut laico; siquidem negotium eiusmodi gravitatis fuerit, ut duplicem hanc expeditionem postulare videretur, aut certe pro petentium merito obtineretur.

2. **Ut ab aetate utriusque Friderici I. et II. non recedatur, ex pluribus, quae ad manus sunt, duo eius generis autographa duplicia hic afferimus.**

a) Friderici I. 1168. 10. Juli. pro Wirzeburgensi ecclesia super iurisdictione eius per totum Wirzeburgensem episcopatum, nec non per ducatum et comecias, infra terminos episcopatus

---

Cui, ex his solum ephemeridibus, mihi cognito, sententiam meam, omnibus hucusque historiae nostrae patriae authoribus probatam, tunc, quando eius nota me adhuc latebat, opposui, momentisque meis, sive argumentis, sub lit. F. et H. prolatis fulcivi. Nunc vero, commentario eius cum Vol. XXVIII. Mon. Boic. iamiam divulgato, argumentis eius, in favorem maioris diplomatis friderici I. imp. congestis, speciatim etiam respondebo, responsionibus meis ad marginem inferiorem collocatis, quod iam supra aliquoties factum est; ea potissimum ductus ratione, quod ipsemet Cl. notae author. l. c. p. 366. commentarii mei, a se lecti, memoriam fecerit, laboremque meum reipublicae litterariae non inutilem fore arbitratus sit.

vel ducatus sitas, extensa. Nam duplex adest Originale eiusdem tenoris, excepta accidentali quadam differentia in forma scriptionis, in diversa sigilli annuntiatione, in numero testium. Priori impressum adhuc sigillum et bene expressum conspicitur, annunciatum hac formula: „sigilli nostri impressione insigniri; praece„pimus.“ Alteri instrumento appendet bulla aurea illaesa ex filis sericis rubri coloris pariter illaesis, annunciata sequentem in modum: signi nostri karactere firmari et insigniri praecepimus.“

b) Friderici II. Ann. 1230 mense Aprili pro monasterio Tegernseensi, cui privilegium Heinrici VI. anni 1193. 18. Maii renovabatur. Nam licet in re, ut videtur, minoris gravitatis duplex tamen petenti ejusdem monasterii abbati exaratum et traditum fuit diploma, quod utrumque salvum adhuc superest, in omnibus sibi consentiens, exceptis rebus paucis minime essentialibus, praemeditate omissis, additis aut mutatis, nimirum in numero ac nominibus testium dictaque sigilli aut bullae annunciatione. Prius conceptum et exaratum est sub sigillo consueto ex filis sericis flavi ac rubri coloris appenso, quod sic annunciatur: „sigillo „maiestatis nostrae iussimus communiri.“ Alteri, quod accessit, „instrumento appendebatur bulla aurea, sic indicata: „bulla au„rea typario nostrae maiestatis impressa iussimus communiri.“

3. Quo loco etiam illud animadvertendum est, saepe expressam bullae aureae appensae mentionem in contextu diplomatis haud fieri, sed in chartis, licet bulla aurea munitis, consuetum sigilli annuntiandi modum retineri: „sigilli nostri auctoritate. Cnfr. specimina aeri incisa bullae aureae friderici I. pro Heinrico Leone duce saxonum inter ann. 1152—1154. ap. Scheid. Orig. Guelf. Tom. IV. in praefat. ad p. 6., et alterius bullae aureae eiusdem Friderici I. pro ecclesia Bambergensi a. 1160. 14. Febr. apud Heyberger in cod. probationum diplomatico ad deductionem Bambergensem super Fürth num. 60.

4. Harum ergo ex numero chartarum duplicium est Bulla celebris Austriaca anni 1156. 17. septemb., de qua in praesentiarum agitur. Superest haec bulla, quod testantur communiter Austriaci editores, supra sub B. 2. 15. laudati, qui illam vide-

runt ac tetigerunt, in contexu instrumenti communi tantummodo formula: „sigilli nostri impressione fecimus insigniri," notata.

5. Extitit autem in archivo veteri ducali Austriaco praeter bullam auream aliud eiusdem diplomatis instrumentum simplici sigillo munitum.

Luculentissimum argumentum talis et prioris quidem, licet eodem die exarati, simplicis instrumenti absque bulla aurea dati, praebent sex testes postremi bullae aureae superadditi, antea omissi quidem, sed in clausula communi: „et alii quamplures" „iam comprehensi. Pro solemnitate siquidem, non pro necessitate in altero exemplari, scilicet bullato, additos esse sex testes prioribus decem, constat ex clausula ista communi: „et alii quam plures" repetita etiam in ipsa bulla.

6. Quodsi modo non supersit in archivo Viennensi prius instrumentum sub sigillo simplici datum, quod volunt editores Austriaci, exinde haud sequitur, istud nunquam illic extitisse. Certissime enim extitit an. 1245. mense Junio, quando dux Austriae fridericus, Babenbergensium ultimus, non bullatum, sed sigillatum, sex nimirum testibus ultimis destitutum, confirmari petiit ac obtinuit, quam confirmationem cum renovatione privilegii Friderici I. episcopus tunc Passaviensis ex scrinio imperii depromsit, suoque archivo episcopali intulit, cuius praeprimis interat scire, quibus privilegiis exornatus esset dux Austriae.

Damus autem non superesse primum simplex instrumentum, non utique periit, nisi eorum voluntate, quorum erat potius illud servare, nisi satius visum eis esset, unum quasi plane inutile destruere, ut facilius aliud, qualitercumque utile, liceat substituere; quod scilicet in lustrandis nunc autographis identidem experimur, melius interdum veritati historicae per antiquos transsumtorum libros consuli, quam per exemplaria ex destructis authographis de novo confecta, sigillisque aut bullis non suis munita. *)

*) Argumentum, quod negativum dicitur: nullum in archivo caesareo Viennensi existere minus privilegium friderici I. imperatoris, licet nullius ponderis

7. *Momentum secundum.* Ex testibus sex Bullae aureae maioris instrumenti superadditis dubium non minimum affert secundus testis, nimirum Rudolfus comes de Swineshud, prout saltem legitur in exemplari eiusdem bullae longissimo.

Cum enim omnes alii, quindecim laici, testes, aut semel aut bis in utroque exemplari expressi, satis clari atque cogniti sint ex historicis atque documentis coaevis, solus ille comes Rudolfus, cognomine de Swineshud, omni antiquitati, historicae ac diplomaticae, ignotus hucusque mansit.

---

soleant eiusmodi esse argumenta, primus, licet paucis verbis, minori privilegio opposuit Schrötter l. c. 57. Cl. author notae vero illi, quasi palmari argumento innixus, p. 459. audacter asseverat: „nunquam alterum diversum ab illo (longiori)“ exemplar, nunquam epitome, simile illi vel dissimile chronici Augustensis, nunquam duplex instrumentum extitit.“ Quod assertum p. 364. repetit: „eiusmodi diploma recentius (longius)“ ut superius annotavimus, nunquam extitit.“ Solum igitur authographum, nunc in archivo caesareo Viennensi asservatum p. 362. rectam diiudicandi normam praestare pronunciat. Piaculo nimirum sibi duxit, paulisper tantummodo dubitare de authentia istius authographi; qua dubitatione admissa, omnia eius evanescunt argumenta, sollicite undique conquisita. Non favet illi descriptio authographi p. 360. de qua supra ad C. egii non varietas lectionum in stuporem exaggerata p. 361. 362. 364.; non adducta p. 358. ab eo coniectura, authographum (longloris privilegii Friderici I. imp.) Oeniponti sive in montibus Tyrolensibus delituisse ab aevo Friderici IV. ducis (III. imperatoris) et Mathiae Corvini, sive a medio saeculo XV. usque ultra obitum Sigismundi Francisci archiducis, qui contigit 1665. Quid enim, si non tantum dicam, sed etiam probem, illo ipso aevo intermedio, non in Tyrolensi regione, sed in ipsa metropoli Viennensi ambo diplomata recens fabrefacta esse, imprimis Friderici II. imp. diploma longius, pruot sub H. num. 14 — 17. adductis rationibus statui, inter annos 1431 et 1437.; deinceps demum longius diploma Friderici I. inter annos 1530 et 1555, ex Friderici II. diplomate longiori renovatorio desumtum, prout sub F. n. 102. ostendi. Omnes enimvero in prototypo factae mutationes, interpolationes, et, quas in odium brevioris instrumenti Cl. author notae l. c. aliquoties detorquet, corruptiones, in longius potius ac recentius cadent instrumentum, quam in brevius et antiquius; quas, si suo cuique exemplari tribueris, multo melius concordabis, quam a Cl. notae authore in l. c. 361. 362. 364. factum est. Nunquid autem arti criticae censoriaeque sola diplomata archivorum episcopalium et monasterialium subiacebunt? ac non similiter ducalium, regalium atque imperialium archivorum? Cui sola veritas lex est, non ducitur partium studio. Neque ego hisce in paginis privilegiis ipsis Austriacis, in instrumentis maioribus comprehensis, quae Cl. notae author gemmam privilegiorum domus Austriacae p. 357 vocat, derogare ullatenus, sed uni veritati historicae servire volui, privilegia ista, iure observantiae noviorisque concessionis merito et rite adquisita statuens sub F. n. 52. 84. et sub H. n. 16.

Non decernendo, sed coniiciendo dicimus, falsam subesse lectionem, non prototypi, sed transsumpti. Qualecumque enim attuleris loci swineshud nomen assimile, quod conveniat Rudolfo cuidam eiusdem aetatis, vix invenies, nisi forte Rudolfum de Stenvort sive Steinfurt, Westphalicae nobilitatis praepotentem virum, de quo agit J. H. Jung in Historia comitatus Bentheimensis Cod. dipl. p. 65., qui dominum suum Heinricum Leonem e Saxonia in Bavariam secutus, elogium comitis potuit mereri, aut iam antea sub Conrado III. 1143. 10. Febr. eo honoratus esse, quod in patria sua nunquam sibi sumsit.

Suevia quidem tunc plures nutrivit Rudolfos comites, alium Brigantinum et de Lenzburg, alium de Pfullendorf, alium de Ramesberg, omnes annis 1155—1162 superstites, cnfr. Neugart cod. Alemann. dipl. II. p. 85. 89. 102. Ast, quocunque te verteris, a lectione vocabuli swineshud longius aberrabis, quam si lectionem Steinfort, sive Steinfurt in archetypo restitueris.

8. Ideo vero hanc coniecturam praemisimus, quo planior via nobis monstraretur, qua in reliquis expendendis momentis fidenter incedamus. Errati enim eiusmodi culpa in coaevum autographi scriptorem cadere non postest, qui nomine ac cognomine suo nosse debuit principes imperii secum viventes ac in curia imperatoris praesentes. Non mirentur itaque, qui haec legunt, ob solum illud erratum nos longiori diplomati friderici I. in forma, qua nunc publice productum est, maiorem fidem non adhibituros esse, quam cuique scripto, quod post multos demum annos ex authographo per tabellarium, maiori dexteritate instructum, quam fide, transsumtum autumamus.

9. *Momentum tertium.* Longe abest, primarium mutuae concordiae objectum inter utrosque Heinricos, seniorem sive Jasomirgott, et juniorem, sive Leonem, regiones scilicet invicem cessas atque in duos ducatus ab imperatore divisas, verbis potius longioris, quam brevioris diplomatis, consensu totius curiae, conceptum litterisque mandatum credamus.

Paucissimis verbis, in reliqua contextus oratione sibi semper consonantibus, omnia ad rem summopere necessaria expres-

sit diploma brevius, quae longissimum magno verborum circuitu aut neglexit aut obscuravit, ideoque sapientissimi imperatoris mentem ne à longe quidem attigit.

10. Praeprimis itaque in irritum revocanda erat nullo iure anno 1139 facta in Leopoldum Babenbergensem, Austriae marchionem, ducatus Bavarici translatio, nec potuit praeteriri in hac concordiae formula talis imperatoris ac principum confessio, cui tanquam basi omnis iusta compositio innitebatur. Mentio autem sola Leopoldi illius, qui fuit frater Heinrici Jasomirgott et obiit mense octobri 1141., sub simplicis marchionis elogio, cum de facto ducatum Bavariae per tres fere annos firmiter tenuisset, vim talis abolitionis in se continebat, quae curiae principum satisfaceret et verecundiae ducis Austriae tunc viventis ac praesentis parceret.

11. Utrum una pluresve marchiae cum ducatu Bavariae coniunctae tunc essent, nec in comitiis Ratisbonensibus huius anni, nec alibi publice quaerebatur. Res enim altioris indaginis discussionibus separatis, in confiniis per arbitros instituendis, more solito committuntur, nec imperator cum principibus desuper quidquam, nisi obscura locutionis forma, statuit. Istud etiam in transactione Ratisbonensi super divisione Bavariae factum esse testis est Otto episcopus Frisingensis, comitiis praesens atque scriptor insignis, qui ultimo capite de gestis Friderici I. super concordiae istius summa aliud edicere nequibat, quam quod orientalis marchia iudicio principum in ducatum conversa, et haec erectio privilegio confirmata sit, addens aliqua, quae vidit ipse et audivit aliunde, in nullo instrumento comprehensa, nec in maiori, nec in minori, nimirum per II. vexilla sibi reddita, Heinricum Jasomirgott de eadem marchia, cum comitatibus ad eam ex antiquo pertinentibus, quos tres dicunt, ducem Austriae investitum esse.

12. Fines utriusque ducatus, Bawariae atque Austriae, potiori iure in concordiae tunc factae summa ac instrumento quaereres. Operose saltem illos determinare conati sunt scriptores paulo post illa tempora celebres: Conradus Mellicensis ap. Hier. Pez. scr. rer. Austr. I. 294. quem repetit Herrmannus Niederaltach. ap.

Canis. edit. Basnage IV. 173.; quocirca legendus K. Th. Gemeiner in dissertatiuncula: Bemerkung — von Oestreichs Gränzen zu Friedrichs I. Zeiten, als dieses Markgrafthum zum Herzogthum erhoben wurde. 1789. Sed frustra istos fines ex alterutro instrumentorum, sive minori sive majori, erues. Tenendum ergo firmiter, consulto praeterita esse aliqua, minus necessaria, in authographo concordiae instrumento, sacro nimirum tecta silentio et futuro meliori eventui relicta, scilicet partium concordantium arbitrio.

13. Abhorret itaque à stylo imperialis curiae Friderici I. tautologica distinctio marchiae ac marchionatus, a coaevis scriptoribus saec. XII. nunquam usurpata, ad hoc autem sequentibus saeculis a quibusdam Austriae scriptoribus proprio marte inventa, ut concordiae an. 1156 factae omnem materiam subtrahant, gloriantes, nihil mutuo dedisse Heinricum Leonem, quod Heinricus Jasomirgott habuisset a ducatu Bavariae.

Sive enim dixeris marchiam supra Anasum, qualis tamen apud antiquos non occurrit, sive mediam aut infimam, quae pariter novioris sunt inventionis, res ipsa in quaestione posita haud mutatur. Marchiae sunt, ad unum eundemque spectantes marchionem et in unum eundemque commutantur ducatum Austriae. Multum autem intererat notasse generaliter: resignasse Heinricum Austriacum, quae frater eius Leopoldus a ducatu Bavariae habebat, ut concordiae daretur occasio. Integra autem marchia orientalis prius (usque ad annum 1156) ducatui Norico iure beneficii subiacuit, ut distinctissime asseverat antiquissimus et gravissimus scriptor Otto de S. Blasio ap. Ussermann Germ. sacr. II. 456. Quae necessario exprimenda, cum in longiori exemplari desint, et superfluo verborum ornatu adeo obscurentur, ut quid commodi negotio afferant, perspici plane nequeat; illa ex breviori authographo in contrarium sensum detorta esse persuasum habemus, et longius instrumentum venditari quidem prototypon, probari autem minime posse.

14. *Momentum quartum.* In maiori instrumento Friderici I. magnopere lectorem offendit promiscua vocabulorum: beneficium

et feudum, usurpatio, cum primum, non alterum, in breviori instrumento trina vice sit adhibitum, et in maiori bina tantum vice repetitum. Nam in maiori hoc instrumento non solum tertia vice, errore aut studio, vocabulum beneficium omittitur, ubi necessario exprimendum erat; verum etiam in numeris 2, 4 et 11. saepius solum vocabulum feodum adhibetur, et frequenter termini iuris feudalis occurunt, quales sunt, ipsum ius feodale, feoda conducere, requirere, conferre, directum dominium, nonnisi posteriori aevo successive curiis germaniae invecti.

15. Scimus autem primum post biennium, nimirum fine Novembris anni 1158 de quibusdam legibus feudalibus germaniae applicandis a Friderico I. imp. esse cogitatum; tantum abest, ut credamus, totum formularum feudalium agmen quasi subito iam ante illam celebrem Friderici I. super feudis constitutionem in diploma quoddam imperiale irruisse.

Accedit, quod quaedam, non modica, intercedat differentia inter feoda germanica et longobardica, nec facile ante an. 1158 germaniae principibus persuaderi potuerit vocabulum feodum, qui in homagiis seu fidei iuramentis, regibus suis post electionem eorum praestandis, libertati suae, quoad poterant, caveri voluerunt.

16. Consulamus etiam alterum super simili novi ducatus erectione diploma, quod sub bulla aurea Fridericus II. an. 1235. mense Augusto Ottoni puero, duci Brunswicensi, concessit, ap. Scheid. Orig. Guelf. 49. IV. sq. Ibi namque, completa iam feudalium librorum compilatione et per interpretes Italicos longe divulgata, in feodum quidem imperii conceditur ducatus ille novus; ast nec in praecedentibus locis, nec in sequentibus, in quibus mentio feodorum erat facienda, imperator vocabulum: beneficium aut beneficiare, immiscuit, sed simili semper stylo usus est, expressionem: per imperium infeodari a concessione, nimirum in proprietatem, hunc actum in fine instrumenti sollicite distinguens.

17. Non apparens tantummodo illa videatur differentia inter utrumque exemplar diplomatis Friderici I., breve et longum; non enim casu contigit, ut vocabulo: beneficium, in illis

solum locis majus diploma utatur, in quibus utcumque cum brevi consentit, in reliquis autem plurimis privilegiis, quae in breviori instrumento desunt, feudi expressionem adoptet et per continuum instrumenti contextum usurpare pergat, qua brevius diploma constanter abstinuit.

Differentia siquidem ista quasi digitum ostendit in maximam partem privilegiorum, quae insigni anachronismo breviori diplomati sequentibus temporibus addita sunt atque interpolata.

18. *Momentum quintum.* Constitutus in diplomate friderici I. 1156 ordo haereditariae successionis, tam per filios et filias, quam illis deficientibus per testamenti factionem, neutiquam verbis longioris instrumenti, sed potius verbis brevioris instrumenti in authentico authographo expressus merito existimatur.

19. Inprimis enim insolita tunc erat alia ratio, feudum ab origine sua foemininum constituendi, quam ut, omni fraudi praevertendae, singula exprimerentur: ius haereditarium, indifferens translatio, primo in filios ac deinde in filias. Quando nimirum post annos 70 anno 1235 mense Augusto ducatus Brunswicensis erectus est, iisdem sane verbis: pro ducatu — ad haeredes ducis Brunswicensis, filios et filias, haereditarie devolvendo, ordo successionis haereditariae determinatus est, non autem specialiter exprimendo seniorem filiam. Vid. diploma ap. Scheid. Orig. Guelf. IV. 49 — 53. cum specimine aeri inciso.

20. Sane imperatorem iura sua sibi ac imperio reservasse censendum est in omni successionum genere, ne auctoritas vilesceret imperialis majestatis, successore principe, imperio minime idoneo, cuidam provinciae imperii substituto, baronibus provinciae aequa inviso ac imperatori.

Inter filias ergo haeredes nullam imperator voluit habere aliquam praerogativam, nisi quam ipse dederit uni prae altera, cum consilio tamen principum imperii et assensu ministerialium provinciae.

21. Pariter quando ex testamento sive per dispositionem inter v[illegible] per ducem Austriae, qui careret liberis, idem ducatus cuiquam esset affectandus sive optione conferendus, suas sibi

partes imperator reservabat, confirmationem scilicet ipsius testamenti ac dispositionis praedictae, et post obitum ultimi ducis investituram novi ducis ab eo affectati. Quorsum neutiquam quadrat clausula, in longiori diplomate extra locum suum intermixta: „dux Austriae donandi et deputandi terras suas, cui-„cumque voluerit, habere debet potestatem liberam, nec in hoc „debet per imperium aliqualiter impediri;“ quae diffidentiam quandam in liberalitatem imperatoris, primo ducatum novum constituentis, indicare videretur, alienam ab ore ducis Austriae, odiosam autem auribus Friderici I. imperatoris.

22. Videamus nunc breviter, qualiter illemet successionis ordo, defuncto post 90 fere annos Friderico II. Babenbergensis stirpis ultimo duce Austriae, qui obiit 1246. 15. Junii, inter filias, non quidem huius Friderici, sed inter filias patris eius et filiam fratris eius, sorores suas et neptem suam, sit executioni mandatus, ad sensum brevioris, non autem longioris privilegii.

23. Non dicamus, imperio tunc vacasse terras friderici II. Austriaci, qui nec liberos reliquit, nec de terris suis, ob florentem aetatem, per ultimam voluntatem disposuit. Nam sensit imperator, Fridericus II., sensere sorores ac neptis Friderici Austriaci, sensere primores omnes provinciarum eius, In aliquam foeminarum istarum debere transire omnem eius haereditatem, eoquod filii et filiae indifferenter succedere in haereditatem poterant ex ipsis verbis privilegii, brevioris nimirum, frustra adversante maiori diplomate.

24. Maiorem natu sororem Friderici II. ducis Margaretham reginam, viduam Heinrici VII. olim Romanorum regis, in carcere Martorano an. 1242. 12. Febr. defuncti, et superstites per eam ex illo procreatos filios praeelegit imperator Fridericus II, qui ducatuum Austriae et Styriae haeredes essent, nec ab hac sententia, quoad vixit, recessit. Nam imprimis capitaneum terris istis destinavit, Ottonem comitem de Eberstein, teste Pernoldo coaevo ap. Hanthaler in fastis campil. I. 1319, posteaque anno scilicet 1248., cum Ebersteinius loco sibi commendato cessisset, tres diversis provinciis administratores procuravit idem

imperator, Austriae, Styriae atque Carniolae, teste eodem Pernoldo l. c.; demum autem in testamento solenniter facto anno 1250. 17. Decembr., manu ac sigillo suo testibusque firmato, inter alias dispositiones statuit: „quod fredericus, nepos noster (Margarethae Austriacae et Heinrici VII. olim regis filius senior) „habeat ducatus Austriae et Styriae, quos a praedicto Conrado „(IV. rege Roman. electo) teneat et recognoscat: cui frederico „iudicamus pro expensis decem millia unciarum auri.“ Vid. Muratori script. rer. Ital. Tom. IX. p. 662 et T. X. p. 819. Supervixit Fridericus iste usque ad ann. 1251, quo obiit iuxta Chronicon Mellicense ap. H. Pez. scr. rer. Austr. I. 240, ac frater eius Heinricus triennio post an. 1254. obiisse dicitur a Köler in genealogia familiae Aug. Staufensis. p. 67. num. 26. et tab. III. ad p. 24., qui tamen hunc Heinricum cum alio Heinrico minore, filio Friderici II. imp. ex Isabella anglica ibid. n. 15. p. 58. confudisse videtur.

25. Quo minus vero ius suum haereditarium consequeretur Fridericus ille, mater sua, regina Margaretha obstitit, quae odio in Fridericum II. imp. rapta, vivere filios suos negavit, (cnfr. Pernoldus, eius capellanus, l. c.), partesque adversariorum imperatoris iam ab an. 1247 adiuvit, nunquam tamen nobilium Austriae consensum obtinuit, spe obtinendae sobolis frustrata, nisi anno 1252, initis cum Otocharo II. Bohemo nuptiis, cum obitus filii sui, dicti Friderici, palam innotuerit. *)

---

*) Cl. author notae p. 365 et 366 ex diplomate Pertholdi episcopi Pataviensis anno 1253. 20. April dato, desumpto ex codice Lonstorfiano fol. 115. n. 196. probari contendit: terras Bambergensium, ducatus Austriae ac Styriae, Friderico II. tunc, 1246, mortuo, non haerede relicto aut aliquo successore, reapse vacasse; et Margaretham reginam, ultimi ducis praedicti sororem, inito cum Ottokaro Bohemiae regis filio an. 1252. occasionem potius occupandi terras Austriae ac Styriae sumpsisse, quam ius ipsum, sive causam originariam et fundamentum habuisse. In quo tamen, quod pace eius dixerim, vehementer fallitur; confundens feuda ecclesiastica et masculina, qualia solebant esse feuda ecclesiae Pataviensis, cum feudis foemininis, ad quae referri debent ducatus Austriae ac Styriae, iam ab origine eorundem. Ab illis ergo ad haec nulla valet argumentatio. Nec Margaretha regina, nec aliqua sororum eius aut neptis praetexuerunt, sed probaverunt titulum haereditariae successionis, nimirum ex minori Friderici I. privilegio, per verba: indifferenter filii et filiae; non ex

26. Obstitit ex altera parte neptis Margarethae et Friderici II. Austriaci, Gertrudis, filia Heinrici Austriaci, dicti crudelis, domini Medlicensis, ann. 1228. ante patrem defuncti. Quae anno 1246 mense Junio Wladislao Bohemo, volente patruo, nupta, ac isto marito iam 1247. 16. Januarii mortuo, quin ex eo prolem suscepisset, iam 1248. alteris nuptiis Hermanno VI. marchioni de Baden copulata est. Haec enim, favente inprimis Innocentio IV. summo Pontifice, invitis licet plerisque terrarum magnatibus, partem saltem Austriae sibi maritisque suis regendam obtinuit, quoadusque mariti ejus vixerunt. Jus autem suum ex privilegio minore Friderici I. imp. 1156. Innocentio IV. Papae persuadere nitebatur, qui in epistolis, anno 1248. 14. septem. Hermanno Marchioni, et 1249. 6. Febr. Wilhelmo Rom. reg. datis, apud Baluz. in Miscellan. VII. 410 et 455 seq. ex relatione amborum, Gertrudis ac Hermanni, haec narrat in priori epistola: „ad quam „(ducissam Gertrudem) idem ducatus per successionem haereditariam, secundum antiquam et approbatam ipsius terrae consuetudinem, nec non per summos pontifices, imperatores et reges Romanorum, ut asseris, dicitur legitime devolutus, auctoritate „tibi apostolica confirmamus. — Datum Lugduni XVIII. Kal. Oct. „anno VI.“ (14. Sept. 1248.) In altera epistola: „Ex parte — „Marchionis de Baden fuit propositum coram nobis, a clar. mem.

---

majoris privilegii verbis: seniorem filiam. Repetere istud argumentum Cl. notae author p. 368. videtur ex rescripto Papae Innocentii IV. ad Philippum tunc archiepiscopatus Salisburgensis Procuratorem an. 1248. 24. sept. Lugduni dato, quod impressum invenies inter episolas Innoc. IV. ap. Baluz. VII. 424. et apud Hansiz. german. sacr. II. 346. Ast contrariam omnino sententiam inde eruisset, dummodo integrum contextum istius rescripti, huc pertinentem, extraxisset. Non enim de solo duce Austriae, Friderico II.; sed etiam de Rapothone III. Comite Palatino Bawariae, tunc pariter defuncto, intelligenda est Innocentii IV. monitio et inhibitio, ne feuda eorum ulterius in feudum concederentur, addita ratione: cum bona, quae quondam ab ecclesia Salzburgensi tenebant in feudum, ad ius ecclesiae redierint, „nullo ab eis legitimo haerede superstite, qui succedere in feudum debeat, remanente. Reliquit autem Rapotho III. comes Palatinus Bawariae, natus ex domo comitum Ortenburgensium, tunc et multis annis superstitem filiam, Elisabetham, postea Hartmanno comiti de Werdenberg matrimonio iunctam, allodiorum et feudorum foemininorum patris sui haeredem, a successione autem in feuda ecclesiae Salisburgensis exclusam; per quod discrimen inter feuda masculina ac foeminina clarissime exprimitur.

„imperatoribus — ducibus Austriae speciali privilegio sit permis-
„sum, ut, si iidem duces absque liberis masculis morerentur,
„foeminae tam in ducatu, quam in feudis aliisque omnibus pos-
„sint iure succedere masculorum, — serenitatem tuam rogamus,
„— quatenus ducatum, feuda et alia bona, quae clar. mem. dux
„Austriae habuisse dinoscitur, — nobili mulieri, uxori suae,
„nepti eiusdem ducis, cum ea, ut dicitur, debet tam propin-
„quitate sanguinis, quam dicti privilegii ratione succedere, libe-
„raliter conferre, ac ipsam de praedictis investire procures. —
„Dat. Lugdun. Id. Febr. an. VI.“ (1249. 13. Febr.) *)

27. Nascebatur Hermanno Badensi ex eadem Gerdrude Fridericus an. 1249, et filia posthuma Agnes 1250: post 4. Octob.; nam Hermannus Badensis obiit 1250. 4. Octob. sepultusque est in monasterio Austriae infer., Claustro Neoburgi. Hoc autem obitu, defensore amisso, Gertrudis filiusque eius Fridericus spe omni obtinendi ducatus exspoliati sunt. Nobis id unum advertere sufficit: Gerdrudi ius aliquod successionis nonnisi ex Clausula brevioris diplomatis: indifferenter filii et filiae, competiisse, quod ex altera Clausula maioris diplomatis: senior filia, frustra obtinere sperasset.

---

*) Duo ista Papae Innocentii rescripta, 14. septemb. 1248. ad Hermannum marchionem Badensem, et 13. Febr. 1249. ad Wilhelmum regem, laudavit etiam et extraxit Cl. notae author p. 368; eo autem fine, ut ipsum Papam Innocentium IV. successionis foemininae in ducatibus Austriae ac Styriae faciat authorem, quos tunc libere vacasse imperio putat; attentosque inprimis vult lectores in id, quod Papa haec „ne minima quidem conditione adiecta“ proclamaverit. Verum, quisquis vel obiter dicta rescripta legerit, statim animadvertet, nihil Papam Innocentium IV. proclamasse, nihilque statuisse, nisi quod partes sibi supplicantes, sorores et neptis ultimi ducis Austriae ex Bambergensium stirpe, iuxta privilegium Friderici I. imp., brevius potius, quam longius, competere sibi asserebant. Non enim generalem solum conditionem percipiet, quae in omnibus rescriptis gratiae per se intelligitur, cum Papa ad petentium preces se referat: devotionis tuae precibus inclinati; ex parte dilecti filii — fuit propositum coram; sed etiam in iis, quae consuetudinem et privilegium haereditariae successionis concernunt, expresse hanc conditionem et clausulam non una vice additam inveniet: ut asseris, dicitur, ut dicitur. Nescio igitur, quid emolumenti inde Cl. author notae sententiae suae aut privilegio Friderici I. imp. [majori, prae minore, haurire quiverit.

28. Hermanno Badensi mortuo, pauloque post etiam Friderico II. imp. defuncto, rebus quoque Austriae in pejus ruentibus, cum Maiores terrae inter se maxime in eo dividerentur, quemnam novum ducem quaererent, tandem anno 1251 decreverunt, nuntios in Misniam mittere, pro uno filiorum dominae Constantiae, Alberto aut Dietrico, obtinendo. Erat autem Constantia soror minor Friderici II. Austriaci, Heinrico marchioni Misnensi iam ab an. 1234 matrimonio iuncta. Qui nuntii in itinere Pragae detenti, sub conditionibus quibusdam, Otachero II. filio regis Bohemiae assensum comprovincialium omnium, exclusis reliquis competitoribus, se conciliaturos fore promiserunt, quod etiam sequenti anno 1252, inito inter Otacherum II. et Margaretham connubio, effectui tradebatur.

29. Patet inde, etiam ad sororem minorem Friderici II. Austriaci, Constantiam, ex privilegio Fridericiano ius successionis spectasse, dummodo ipsius et statuum Austriae assensus accessisset; quod pariter dicendum de reliquis eius et Margarethae sororibus, Agnete, Bernhardo Anhaltino iam an. 1222, et Gertrude Heinrico Rasponi an. 1239 nupta, defuncta vero an. 1249 aut 1247 ante maritum eius, tunc Germaniae regem; si nimirum supervixissent et ius successionis in turbulentissimis Austriae rebus urgere voluissent.

30. De jure itaque nunquam vacabat Austriae ducatus, post obitum ultimi ducis Babenbergensis, Friderici II., sed de facto solum, mortua sine liberis Margaretha an. 1268 29. Octob., et caeteris foeminis a duce Heinrico Jasomirgott descendentibus iuribus suis minime vigilantibus aut vigilare haud valentibus.

Clarescere hinc haud dubitamus, foemininam successionem in ducatu Austriae à primordio potius per filios filiasque, quam per seniorem filiam, quod inepte voluit saepius laudatus Pernoldus ap. Hanthaler in annal. Campilil. I. 1319, constitutam esse, nec Pernoldum hanc declarationem ex primigeno diplomate hausisse, sed e contrario post aliqua saecula declarationem Pernoldi ineptam authographo corrupto ac instrumento maiori recens compilato interpolatam esse.

31. *Momentum sextum.* Necessariam ab imperio Germaniae dependentiam, quae de novo Austriae ducatu in breviori erectionis diplomate statuitur saepiusque innuitur, tanquam conformem fundamentalibus nexus imperii principiis, non autem arbitrariam tantummodo dependentiam, quae in maiori diplomate concessa dicitur, nexui vero imperii prorsus contrariam, in vero authographo sancitam esse credimus.

32. Jam ipsa feudi cuiuscumque receptio, cui semper fidelitatis ac homagii praecedit iuramentum, arbitrium illud subiectionis et speciem solum dependentiae tollit, necessarioque cuilibet imperii principi iniungit, ut vocatus ad comitia imperialia accedat, nisi impossibilitas aut gravis difficultas illum excuset; ut in vicinas ad minimum imperatoris expeditiones subsidia militaria conferat, quae imperio ac principi ipsi revera conveniant, minimeque dedecori sint, uti plane essent duodecim armati per unum mensem; denique ut novus imperii princeps pro feudis suis recipiendis imperatorem vel per se, vel per nuntium accedat, tempus locumque investiturae ab eo petat, quo in casu in arbitrio potius imperatoris, feudum concedentis, erit, provinciam principis accedere, quam in arbitrio principis, feudum recipientis, illud extra metas suae provinciae non recipere, immo, quod gravius est, per solas litteras illud requirere, post trinamque petitionem feudum non obtentum, nolente etiam imperatore possidere ac si obtinuisset.

33. Certe introducta semel ista libertate arbitrariae subiectionis ac dependentiae ab imperio, omnis nexus imperii dissolvitur imperiumque ipsum cessat, quod continere fortiusque sibi astringere nullus magis, quam Fridericus I. imp. auctor erecti novi ducatus Austriae adlaboravit, sicuti per plura longi sui regiminis exempla monstravit.

34. Fridericus etiam II., ut supra ex testamento eius cognovimus, Austriam a filio suo, Conrado IV. Romanorum rege electo teneri ac recognosci statuit. Quod attendens Rudolphus Habspurgicus, qui Heinricum Rasponem, Wilhelmum Hollandicum ac Richardum Anglicum, non agnovit veros germaniae reges, mi-

nime curavit petitiones investiturae super ducatu Austriae, per Hermannum Badensem ac per Otokarum Bohemum apud Wilhelmum ac Richardum, nomine solum reges, factas, nec ipsas eorum investituras, si quae forte fuissent obtentae, qualis affertur in diplomate Richardi pro Otokaro de anno 1262. 9. August apud Lünig im Reichsarch. part. spec. Contin. I. sive Tom. VI. 2. Abth. p. 6. ex Goldasto de Regno Bohemiae p. 33. Quamvis dici super his possit, verbalem aut epistolarem potius, quam corporalem investituram tunc in usu fuisse, frustraque hic de trina solum petitione mentionem fieri.

35. Sollicite quoque notare solent scriptores Austriaci receptiones regalium ducatuum Austriae. Styriae aliorumque, a ducibus cuiusque stirpis, nullamque afferunt, quae proprie intra metas ducatus Austriae contigerit. Eadem sollicitudine dicti scriptores multas expeditones commemorant, quas ipsi duces sui Babenbergicae stirpis pro imperio ac imperatoribus fecerant, in terris transmarinis, in quibus tunc sola bellorum germanicorum sedes erat.

36. Addimus hisce praesentiam multiplicem eorundum ducum Austriae primae stirpis in comitiis imperialibus ex chartis minime suspectis, quarum autographa praesto sunt, v. g. Ratisbonae 1192. 27. Januar. 1213. 15 et 16. Febr. Norimberg. 1183. 13. Mart. 1200. 18. Mart. 1219. 8. Nov. Augustae Vind. 1179. 16. Sept. 1215. April. Werdae 1227. 17. Jul. Nordelingen 1228. 6. Sept. Herbipoli 1216. 11. et 14. Maii. Spirae 1193. 28. Mart. Fogiae ac apud S. Germanum in inferiori Italia 1230 mens. April. Jul. et August.

37. Non dicant Austriaci, propria sponte ista omnia per duces Austriae concessa aut facta fuisse. Opponimus enim privilegii brevioris tenorem, quo inspecto patet, ad curias in Bavaria, nimirum Ratisbonae ab imperatore praefixas, eos evocatos necessario comparuisse; ad expeditiones etiam Italicas, utpote Austriae magis, quam aliis provinciis Germaniae v. g. Saxoniae, Franciae, Sueviae, Bavariae etc. propinquas, eos militem suum copiosum necessario misisse.

38. Quod vero est ad hocce subsidium pro expeditionibus, monet Jungius in Tom. V. Originum Guelficarum p. 18. ad Tom. III. 460. ex manuscripto auctoris Scheidii: Consulendas esse vetustiores imperii matriculas, ut longe alia edoceamur; sic v. g. in matricula Wormatiensi anno 1521. ad expeditionem Romanam à Carolo V. susceptam dux Austriae 120 equites, 600 pedites mittere iubetur.

39. *Momentum septimum.* Quae de exemtione novi ducatus Austriae a quacumque alia iurisdictione in breviori diplomate statuuntur, melius pro stylo curiae illius temporis negotia tractandi conveniunt, quam diffusa in maiori diplomate per varia exempla explicatio et amplificatio, quae postrema, ut stylo curiae contraria, ita ab authographo aliena omnino censenda est.

40. Sic quando ecclessiae Wirceburgensi ducatus per totum eius episcopatum confirmatur a Friderico I. imp. ann. 1168. 10. Jul., satis fuit, expressisse ducatum et omnem iurisdictionem seu plenam potestatem faciendi iustitiam per totum episcopatum et ducatum Wirceburgensem, quam nemo exerceat, nisi solus Wirceburgensis episcopus et dux, vel cui commisserit: immo suffecisset illa sola cautela, qua extranea arcetur iurisdictio, nisi praecessisset longaeva ecclesiae Bambergensis cum episcopatu Wirceburgensi de iuribus ducalibus ac comitialibus contentio, quam exponunt diplomata eiusdem Friderici I. imp. 1160. 14. Febr. et 1165 circ. 23. Maii.

41. Unica itaque clausula, alienam vetans iurisdictionem in novo ducatn Austriae, rem totam de qua agebatur, perfectissime confecit, quin opus esset ampliori eius designatione. Exinde enim sponte consequitur, non solum pro duce Austriae, sed etiam pro quovis alio duce regni Germaniae, ut, qui suos solus iudicat, pro se quoque, si non iudices, saltem electos actores, in causa propria designet, ac, in causis duello finiendis, per alterum idoneum vices suas suppleat. Multo magis id consequitur, ut ducis Austriae atque alterius cuiuscumque ducis institutionibus et destitutionibus in ducatu suo ab omnibus pareatur, nec temere a quoquam, quod in terris suis seu districtibus fecerit aut instituerit, immutetur.

42. Cum autem haec omnia intelligenda sint, salvo iure imperii et imperatoris, illam clausulam, in maiori diplomate decreto isti appositam: „hoc imperator nec ulla potentia non debet „in posterum commutare," iuste damnamus, ceu longo post tempore adiectam, ab ore imperatoris aut principum nunquam prolatam. Non obstante enim ducatu Wirceburgensi, Fridericus I. per privilegium 1165. circ. 23. Maii mercatum Staphelstein ecclesiae Babenbergensi concessit intra fines dicti ducatus, et absque duce Bavariae in eius ducatu libertatem ponti lapideo Ratisbonae indulsit 1182. 26. Septmbr., ipsos principes transgressores poenae X. librarum auri subiiciens.

43. Merito denique accusamus, in recensendis illis iuribus, quae sint effectus iurisdictionis ducalis, nec ordinem quemdam esse servatum nec ea esse exposita, quae graviora putes, sed adducta tantummodo ista, quae minora facile reticita autumes, et per se intellecta.

44. *Momentum octavum.* Transeuntes ad privilegia, quorum nulla in breviori diplomate extat memoria, non repetimus illa, quae singularia non sunt, sed communia omnibus in Germaniae regno ducibus, nimirum sub num. 9. 10. 12. 14 et 15. lit. E. 9, adducta. Generaliter autem ista omnia, cum ipso axiomate num. 15. expresso: „quae obtinere reliqui principatus imperii „dinoscuntur," ad superflua reiicimus, amputanda ab authographo, cui postea sunt adiecta. Stylus enim curiae utriusque Friderici I. et II. imp. illa respuit, per se com prehensa aeque in erecto ducatu, ac in ducatu confirmato, quod vidimus in privilegio confirmationis pro ecclesia Wirceburgensi 1168. 10. Jul. et in privilegio erectionis pro duce Brunswicensi 1235. mense Augusto, in quibus nec axioma illud generale, nec species quaedam iurium ducalium, excepta ducali potestate atque iurisdictione, exprimitur.

45. *Momentum novum.* Expensuros singularia privilegia, nonnisi in maiore diplomate concessa, praeprimis offendit motivum, ex quo imperator Fridericus I. imp. Heinrico novo duci Austriae et terrae eius „subnotatas constitutiones, concessiones „et indulta, auctoritate imperiali in iura plena et perpetua re-

„dactas“ dicitur donasse; quod si ostendatur insufficiens, aut a veritate aliennm, eo ipso corruent privilegia extraordinaria, eidem motivo quasi fundamento innixa.

46. Singularis ergo favor imperatoris Friderici I. erga Heinricum novum ducem Austriae, patruum suum, eiusque coniugem, ducissam, erga terram Austriae, eoquod „clypeus et cor sacri „Romani imperii esse dinoscitur“ impulisse dicitur imperatorem, ut ista privilegia eisdem personis eorumque successoribus atque terrae Austriae liberaliter donaret.

47. Ast singularis iste favor, quo Fridericus I. imp. erga patruum suum Heinricum Austriacum ferebatur, par esse comprobatur erga Heinricum Saxonicum, nepotem suum; maior erga fratrem suum Conradum, comitem palatinum Rheni, atque sorores suas, Juditham sive Bertham, ducissam Lotharingiae, et Claritiam sive Juditham alteram, Landgraviam Thuringiae; nec tamen singularibus privilegiorum praerogativis condecoravit nepotem, fratrem, sororesque praedictas aut earum maritos. Neque etiam in consessu principum, tunc temporis de erectione novi ducatus Austriae iudicantium, permissus esset imperator, affectum sui amoris talem erga consanguineos, qui non essent ipsius filii et filiae, praeseferre, quo motus singularia quaedam iura ad invidiam ducum antiquorum novo duci concederentur; multo minus talia iura, quae non solum ad haeredes novi ducis transirent, sed ipsi etiam terrae inhaererent.

48. Praecesserunt enim marchiones Austriae, ac sequebantur duces Austriae stirpis Babenbergicae, qui aliquando cum inimicis imperatorum steterunt, armisque imperatorum Heinrici IV. ac Friderici II. ad subiectionem imperio debitam revocandi erant. Cnfr. passim historici medii aevi ad an. 1082 et ad an. 1236 usque 1240. Ista sane imperatorem sapientissimum, Fridericum I. praeteritis in malis expertum, futuris praecaventem, absterrere poterant ac debebant, ne immodica iura consanguineis aut eorum terris ac provinciis tribueret.

49. Longe minus subsistit altera ratio, singularia privilegia terrae Austriae concedendi. Tunc temporis enim Austria, in ul-

tima germanici regni ad orientem extremitate posita, et a terris haereditariis imperatoris valde remota, neque per summam exaggerationem clypeus et cor imperii esse aut vocari potuit, obstante situ ac historia regni germanici. Patentibus scilicet coaevis Friderico I. scriptoribus, cum Ottone Frising. in vita Friderici I. lib. I. cap. XII., in Francia Rhenana, tota nimirum provincia a Basilea usque Moguntiam, maxima vis regni noscebatur, adeoque clypeus regni fortissimus adversos Gallos, imperio germanico tunc magis, quam Hungari, aut quicunque extranei reges, formidandos.

50. Cor imperii vero, metaphora ad rem translata, semper fuerunt terrae imperatorum haereditariae; Saxonia sub saxonicis, Franconia sub Francis, Suevia ac Francia sub Suevis imperatoribus. Neque ergo vel improprie Austria cor imperii dici poterat, nisi sub imperatoribus ac regibus Habspurgicis, qui principalem imperii sedem Viennam, inferioris Austriae metropolim, constituerunt.

51. Hoc tamen fatemur, quod, historia teste, imperator proprio sanguini, filiis nimirum suis ac nepotibus a se descendentibus, pro stabiliendo eis regno, data opportunitate atque accedente principum imperii consensu, aliqua iura insolita possit elargiri. Talis opportunitas genti Habspurgicae terraeque eius principali, Austriae, tunc obtigit, quando regnum Germaniae, per electionem Alberti V^ti^ Austriaci, regis II^di^ an. 1438. 18. Mart. altera vice ad gentem illam sic transiit, ut dignitas imperialis ac regalis continuis fere quatuor saeculis penes illam steterit. Hac ergo opportunitate arrepta iura ista singularia, pridem solum actu exercita, iam vero diplomati authographo Friderici I. imp. interpolatione addita esse putamus.

52. Tempore scilicet Alberti II. regis et successoris eius Friderici III. vera fuisse omnia comprobantur, quae in maiore diplomate habentur, non autem tempore Friderici I., cui non conveniunt, nisi quae in breviori diplomate leguntur.

53. *Momentum decimum.* Modum excedit privilegium num. 4^to^ maioris diplomatis adductum, quo duci novo Austriae

concedi dicitur: primo, ut Imperium nullum feodum habeat in ipsius ducatu, quod non prius sit collatum a duce Austriae, in quo nonnisi principes ecclesiastici ac monasteria excipiuntur; secundo, ut cuncta saecularia iudicia, bannum sylvestrium et ferinarum (legendum censemus: bannus sylvestrium ferinarum), piscinae et nemora in ducatu Austriae debeant iure feodali à duce Austriae dependere, in quo nemo excipitur.

54. Talis siquidem concessio temporibus Friderici I. imp. neutiquam convenit, neque ergo tale privilegium à curia eius provenire potuit.

55. Non solum episcopatus, Passaviensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Bambergensis ac Wirceburgensis, ac monasteria Niederaltach, Ebersberg multaque alia ab imperio magna dominia in Austria tenebant, longe ante erectionem ducatus Austriae adquisita, ac postea per multa saecula ab imperio solo possessa, quocirca authentica imperatorum ac regum germanicorum diplomata passim extant; verum etiam plures comites ac nobiles in terra illa, nonnisi ab imperio, comitatus ac dominia, cum iurisdictione, banno sylvestri, venationibus, piscationibus, caeterisque dominiorum pertinentiis, omni tempore, quo marchia ac ducatus Austriae nominantur, possidebant, quin ea unquam a ducibus Austriae nexu quodam feudali dependerent, priusquam sponte a possessoribus ac connivente imperio ipsis ducibus in feudum deferrerentur.

56. Ut notiora, tantummodo pauca ex multis, afferamus, tempore ipsius Friderici I. imp., qui primo erexit ducatum Austriae, Gebhardus II. comes de Sulzbach plura beneficia, etiam in Austria, tenuit ab imperio, quorum partem ipse Ottoni de Rehberg, nobili ex Austria, ulterius in beneficium contulit. Igitur comite illo de Sulzbach an. 1188. 28. Octob. absque haerede masculo defuncto, vasallus eius, praedictus nobilis de Rehberg, imperatori Friderico I. ducentas marcas argenti persolvit, ac propterea eandem feudorum imperialium partem ab eodem imperatore ea conditione obtinuit, ut a nemine, nisi ab imperio, teneret. Haec Enenkel fere coaevus apud Rauch scr. rer. Austr. I. 249.

narrando affert, cuius tamen editio ex melioris notae Mspto emendanda est in haec verba: „Grave Gebhard von Sulzbach het ze „Lehen von dem Reich Langawe und daz Aigen, von dem ichz „ze Lehen nam Otto von Regenspurch (nämlich von Rehberg, nach dem Tode des Grafen von Sulzbach Domvogt von Regensburg) „Darnach, do der Grave starp, do fvr de Tvemvogt (Otto) zu „dem Chaiser und gab dem zwaihundert March Silbers, daz er „daz Aigen von Niemen andrem haben solde, dan von dem Reiche.“ Ista contigisse an. 1189. in curia Ratisbon. 24. April. edocemur ex codice Weyariensi in Mon. Boic. VII. 490. Cnfr. Hund Stammb. I. 146. Sub Langawe autem intelligi Langau in Austriae inferioris districtu Obermanhartsb. per se patet ex laudato Enenkelii loco, qui ibi non refert loca, nisi ad ducatum Austriae pertinentia; et ex diplomate duplici Friderici I. imp. an. 1174. 13. Jul. super comparatis ab ecclesia Bambergensi beneficiis Gebhardi com. de Sulzbach, in quibus etiam ipsum Langawe sive Lungowe, descriptum ultra Pataviam versus Austriam et beneficium Ottonis de Rehperge occurrit.

Discimus exinde, vacantia tunc feoda imperialia obvenisse plus offerentibus ac primo petentibus sive praeoccupantibus illa, neutiquam autem duci Austriae, nisi hic plus obtulisset, sicque vacantia in Austria feuda imperialia praeoccupasset. Haec videns eisque cavens Sigboto comes de Wiar et Neuburg an der Mangwald, de Valchenstein, de Hadmarsberch et Herrantstein in Austria, auctor codicis laudati Wiarensis Mon. Boic. VII. 440, cum multa feoda imperialia, tunc vacantia à filiis comitis Gebehardi de Burchusen, à comite etiam praedicto Gebhardo de Sulzbach, sita in ducatu Austriae, haberet; sollicite monet filios suos ambos, ut agant omni nisu, ne ministeriales ducis orientalis illa feoda inbeneficiare anticipent, sive in Anvel concedi obtineant. A Comitibus ergo praedictis ipse comes Sigboto in Austria tenuit beneficia imperialia, quae post obitum eorum sine medio sibi aut filiis suis concedenda fore sperat, quod de feudis per obitum Gebhardi comitis de Sulzbach obtinuisse postea testatur in loco laudato p. 490.

57. Haec quidem de feudis imperii revera vacantibus ac in Austria sitis dicta sunto; quae si nulla constitutione imperiali necessario duci Austriae conferenda erant, multo minus hoc fieri aut statui potuit circa feoda imperii inpropria, sive feoda foeminina, ad mares et foeminas haeredes devolvenda, ideoque non tam facile vacantia, ad quae aliquando extendere volebant scriptores ac rectores ducatus Austriae privilegium istud praetensum, de quo hic agitur.

58. Illustris desuper causa, in ipsis curiis imperialibus frequentius agitata, habetur in feudis imperialibus, in Austria iam a fine saeculi XII^mi possessis per Burggravios Nürnbergenses, qui, quoadusque regnum Germaniae perduravit, illa sine medio ab imperio in feodum recipiebant ac in feudo tenebant. Ex industria desuper scripserunt Burc. Gotth. Struve in commentat. de dominio directo in alieno territorio an. 1724., additis probationibus chartarum eousque ineditarum, cuius asserta compendio repetiit Ph. E. Spiess in den archivischen Nebenarbeiten II. 1785. S. 14—27. und in den Aufklärungen an. 1791. S. 72—74.

59. Non obstante scilicet venditione comitatus Ragczensis sive Rötz in Austria infer., per Sophiam comitissam Ragczensem simulque Burggraviam Norimbergensem Leopoldo VII. duci Austriae circ. an. 1204. factam, de qua Enenkel ap. Rauch l. c. 248. brevem affert notitiam, permagnum nichilominus patrimonium in terris Austriae filiis suis ambobus (Friderico et Cunrado), Burggraviis eorumque haeredibus Sophia praedicta comitissa destinaverat et constituerat, cnfr. Spiess l. c. 73 et 23.; ut pro antiqua illius conditione non vulgaris principatus posset aestimari. Cnfr. Struve S. c. p. 68 et 69.

60. Horum enimvero in Austria dominiorum, licet per iniuriam temporum imminutorum, possessio sine medio ab imperio in feudum obtenta, continuis sex saeculis, retenta fine medio ab imperio, penes Burggravios Nurmbergenses stetit, testibus multis litteris feudalibus, quas Burggravii signarunt, et reversalibus, quas a subvasallis receperunt, teste denique ipso constituto a Burggraviis inde a medio saec. XIV.^to summo rerum sua-

rum feudalium in Austria praefecto, quae omnia pluribus docent Struve l. c. p. 70—81. et Spiess p. 16—22.

61. Inter documenta ab his allata ad rem hanc praeprimis faciunt duo diplomata, unum Rudolphi Habspurgici datum ap. Ulmam 1286. Non. Jul. (7. Jul.) Friderico III. Burggravio Norimb. concessum, alterum Caroli IV. Pragae an. Sanct Andrestage (30. Novemb.) 1363. Friderico V. Burggravio Norimb. datum, ap. Struve l. c. in append. lit. E. ap. Spiess. l. c. S. 23 et 27. num. 3. et 9. et ap. Schütz in Corp. hist. Brand. IV. 135. n. 104.

62. Contigerat enim per errorem cancellariae regalis, ut Rudolphus rex, postquam Friderico III. Burggravio castrum Seveld in Austria cum eius pertinentiis in feodum regali auctoritate contulerat, ut idem castrum filiis suis, Alberto et Rudolfo, cum ducatu Austriae (an. 1282.) conferret. Quem errorem corrigens rex diplomate praedicto anni 1286 securum facit Burggravium, ut idem castrum cum eius pertinentiis tamdiu a se et Romano imperio teneat et possideat titulo feodali, quousque ipsum a praefatis filiis suis recipere iubeat: nec vult, quod in aliquo praeiudicet Burggravio, quod dictum castrum ab eisdem filiis suis hactenus non recepit, nec recipiet, priusquam ipsi dederit in mandatis. Teste autem rerum successu comprobatur, tale mandatum Rudolphi I. regis nunquam emanasse, cum Burggravii castrum illud usque ad extrema regni germanici tempora sine medio ab imperio tenuissent. Vid. Spiess l. c. 21. et 22.

63. Praedictum vero errorem Rudolphi I. regis in favorem suum interpretando, immo eum augendo, Rudolphus IV. dux Austriae, pronepos Rudolphi I. regis, infra etiam nominandus, id sibi petere arrogavit, ut Burggravii Norimbergenses feoda eorum, in ducatu et dominiis Austriae sita, porro a ducibus Austriae reciperent in feodum. Quod in grave suum praeiudicium cedere conquerens Fridericus V. Burggravius, coram Carolo IV. imperatore et regni principibus, solemnem desuper declarationem per diploma praedictum 1363. 30. Novembr. obtinuit: ut Burggravii Norimberg. feoda sua, in ducatu et dominiis Austriae sita,

quae antiquitus ipsi aliis contulerant, et adhuc conferunt, a nemine, nisi ab imperatoribus regibusque Germaniae recipiant. *)

64. Observandum insuper, principes, in actu erectionis, ducatus Austriae praesentes ac in diplomate erectionis nominatos, Gebehardum com. de Sulzbach, Gebehardum com. de Burchusen, (Ekkebertum) Com. de Puten, (Chunradum) Com. de Pilstein, idem praejudicium, quod postea sentiebant Burggravii Norimbergenses, suis dominiis, in Austria sitis, merito timuisse ex simili privilegio, neque unquam illi consensisse, si imperator Fridericus I., quod tamen negamus, concedere illud novo duci Austriae voluisset.

65. Nunc pauca de altera praetensi illius privilegii parte afferamus, qua, nemine excepto, omnium possessorum iudicia saecularia, bannus sylvestrium ferinarum, piscinae et nemora in ducatu Austriae a duce Austriae iubentur dependere.

Quae nisi allodia, nunquam pro feudis imperialibus habita, tangerent, a feudis imperii, de quibus in priori huius praetensi privilegii parte sermo erat, distinguere haud oportebat. Sane si uspiam, certe in Austria iam inde ab exordio terrae illius, post desolationem per Hungaros factam recens cultae et inhabitatae, allodiales erant plurimae possessiones, cum iudiciis, bannis sylvestribus, venationibus, nemoribus, sylvis ac piscationibus, atque allodiales esse permanserunt, usque dum sponte a quibusdam possessoribus, aut oblatione in feudum, aut pactione aut venditione in dominium plenum aut saltem directum ducum Austriae converterentur.

66. Superfluum aestimamus, pro illius rei veritate adducere possessiones eiusmodi episcopatuum et monasteriorum, quamvis nec eae ab hac parte privilegii eximantur; innumerae enim adsunt chartae ex archivis episcopatuum ac monasteriorum, ex

*) Non ergo ex privilegio Friderici I. imp. maiori istam pluresque alias praerogativas sibi sumpsit Rudolphus IV. dux praedictus, quod contendit Cl. notae author p. 363. sed sola in praepotentiam ductus confidentia, de quo infra ad n. 84. sermo redibit.

quibus eruitur, a principibus ac nobilibus privatis istas possessiones, cum iuribus praedictis, seu omnibus, seu aliquibus, in allodiale dominium episcoporum ac monasteriorum transiisse, multisque saeculis nec ab imperio neque à ducibus Austriae per episcopos aut abbates in feudum receptas esse.

67. Ex principibus autem laicis ab Enenkelio nominantur comites de Pilstein et Scala, comes de Clamme (et Velburch), Fridericus comes (de Hohenburg), Otto de Rehperg, Ulricus comes de Pernek, Comitissa (Sophia) de Ragcz, Gebhardus comes de Sulzbach, Berchta Ulrici de Asparn filia Chunradi de Falkenberg uxor, Landgravia de Steveninge, Gotscalch de Hinczperch (alias Gunfsberg, item Haimberg), Otto de Slunz, Advocatus de Perge, qui inter annos 1170 usque 1230 sua dominia in Austria ducibus Austriae aut libere vendiderunt, aut in feodum sponte obtulerunt, aut ex dotalibus aliisque pactis concesserunt; nullus autem illorum dominia sua nisi prius sponte oblata, a ducibus Austriae in feudum recepit. Vid. Enenkel ap. Rauch I. 247—249.

68. Addimus alios principes, Enenkelio suppares aetate, aut aliquanto posteriores; nimirum comites de Tollenstein et Hirschberg, qui ab an. 1229 usque 1305 de comitia sive dominio suo Litschau in Austria inferiori varias pro lubitu suo dispositiones, donando, infeudando ac vendendo, absque imperio et absque duce Austriae, nullasque directe in favorem ducum Austriae fecerunt, multo minus comitiam sive dominium illud unquam à ducibus Austriae in feudum receperunt. Cnfr. Linck Annal. Claravall. I. 286. 301. 571. Mon. Boic. V. 398—400.

69. Absit ergo à Friderico I. imp., iurium antiquorum tenacissimo, constitutio enormis illius privilegii, quo tantopere praegravantur feoda ac allodia principum imperii, quorum libertati vindicandae nunquam non operam praestitit et auxilium.

70. *Momentum undecimum.* Plura obstant, quo minus modum singularem feuda imperii conducendi, sive recipiendi, num. 11. maioris diplomatis comprehensum, aetati Friderici I. imp. plane inconvenientem, in eius diplomate authographo anni 1156. contineri credamus.

71. Inprimis solemnis feudorum receptio in ducatibus haereditariis antiquis, qualis hic innuitur, exceptis illorum extraordinariis et praeter consuetam succedendi regulam factis devolutionibus, ante tempora Ludovici IV. et Caroli IV. imp. nunquam occurrit; nec illo opus erat ex iure publico antiquo, quo renovatio iuramenti fidelitatis, paulo post electionem uniuscuiusque regis germanici in eius manus facta, vices supplevit renovatae investiturae. Vid. passim auctores iuris publ. german. Sufficiebat ergo imperatori Friderico I. primam investituram ducis Austriae paucis, prout in breviori eius diplomate legitur, expressisse, qua investiebantur etiam primi ducis haeredes, absque contentione, quae per novam principum sententiam decidenda esset, illi succedentes.

72. Multo minus in illis circumstantiis expeditionis Italicae, iam factae et maiori adhuc adnisu praeparandae, imperatori Friderico I. curae esse potuit, legem condere super amictu ac vestitu ducis Austriae, qui cuique ex rei natura liberi plane solent esse.

73. Sertum etiam pinnitum, sive potius pinnatum, nimirum corona, nulli ducum Babenbergensium convenit, quorum ultimus Fridericus II. dignitatem regiam aut quaesitam non obtinuit, aut oblatam respuit. Cnfr. diploma desuper effectu et expeditione carens ex Petro de Vineis passim, et Pernoldus ap. Hanthaler in fastis Campilil. I. II. 1319.

74. Decentiam denique, Sacramento iuramenti debitam, quam gravissime laedit situs ille corporis, quo equo quis insidens feoda sua a manu imperatoris vult recipere.

Iuramentum illud quidem fidelitatis, inprimis necessarium in omni feodorum receptione, ex legibus et consuetudine imperii genibus flexis tactisque sacrosanctis evangeliis, praeeunte plerumque archicancellario caesareo, summa reverentia erat recitandum.

75. Quotquot inde ab anno 1417 usque ad an. 1566 ab auctoribus, inter eosque à Lünig in Theatro Caeremoniali II. 943 sq. num. 3—6., describuntur solemnes ac publicae eiusmodi feudorum

per maximos principes receptiones; nam antiquiores non memorantur; in reliquis Caeremoniis singulae earum quasdam exhibent varietates v. g. in equitatu ad vel circa Theatrum, in quo erat thronus imperatoris feoda largientis, in osculando capulo gladii imperialis, in tangendo sceptro imperiali, in vexillis e theatro in populum proiiciendis etc.; ast in eo omnes conveniunt, ut recipiens feoda praelectam sibi iurisiurandi formulam genibus flexis coram imperatore, in throno sedente, recitaret; postquam equitans ad theatrum equo desiliisset, ac pedes per scalas theatri ad sedem imperatoris deductus esset.

76. Contigit semel, magis periculi faciendi causa, quam serio, ut anno 1530. 5. Septemb. in campis ad castrum Wellenburg prope civitatem Augustam Carolus V. imperator fratrem suum, Ferdinandum I., tunc Ungariae ac Bohemiae regem, ducatu Austriae, nec non ducatu Wirtembergensi, equo insidentem, indutum veste archiducali Austriaco, tectum pileo sive pileolo, similiter archiducali Austriaco, investiret. Audiendi autem desuper sunt scriptores coaevi, qui solemnitatem istam describunt, ac cessabimus mirari, similem caeremoniam nec antea nec postea, etiam in ducibus sive archiducibus Austriae solemniter investitis, esse auditam.

77. Ach. Pirmin. Gasserus sive Gassarus, tunc Augustae degens, in annalibus Augustensibus, an. 1576. absolutis, apud Menken in Scr. rer. germ. I. p. 1789. ad an. 1530. duo super ista solemnitate notat:

a) „Ferdinandus Ungariae et Bohemiae rex — a fratre imperatore archiducatum Austriae, simul ac ducatum Wirtembergensem, in proprio territorio, utputa Burgaviensis (l. Burgaviensi) Marchionatu, equo insidens, iuxta domus eius *nuperam praerogativam*, in beneficium V. die septembris accepit.“

b) „Quo loco omnis generis militaria exercitia, equestres ludi et praeliorum imagines, ornatissimo triumpho, sed non sine caedibus, nonnulli enim homines casu, alii Bombardis, quae fulminum instar creberrime explodebantur, periere, usque adeo principum ioci non carent plebeculo exitio, celebrata fuere.

78. Amplior autem eiusdem solemnitatis descriptio edita habetur ap. Goldast in den Reichshandl. p. 126 et 127., quae laudata p. 127., haec narrat de iuramento a Ferdinando equo insidente praestito: „Und alſo (hat) der Kónig (Ferdinand) vor dem „Kayſerſtul der Seſſion auf dem Pferd ſtill gehalten, und nach vor„geender Anrede die gnedige erlangte Antwort, die Lehen zu Roß „empfangen. Es hat auch der Ertzbiſchof und Churfürſt zu Meynz „den Ayd vorgeleſen, welicher Anhörens nicht ſo hoch ver„pintlich, wie die andern Chur und Furſten in Gemeyn thun müſ„ſen." Eodem modo, sed fusius ista narrantur à Joan. Tieck in descriptione huius solemnitatis germanice typis edita 1536. ac repetita in Lünigii corp. iuris feudalis I. p. 715.

79. Ex quibus omnino persuademur, inutilem semper ac iocis potius, quam rebus summi momenti, quales sunt fidelitatis iurisiuranda, accomodatum, fuisse habitum eiusmodi feoda recipiendi modum, sensui Friderici I. imp. ac principum eius aevi quam maxime contrarium, non alicui antiquo privilegio, sed nuperae concessioni sive praerogativae innixum.

80. *Momentum duodecimum.* Quae sub num. 13tio maioris diplomatis de elogiis palatinorum ducum et electorum, et de loco ducis Austriae in consessu afferuntur, a moribus aevi Friderici I. imp. et a consuetis tunc loquendi formulis multum abeunt, adeoque ab authentico illius imperatoris diplomate omnino aliena atque resecanda erunt.

81. Expressionem quidem illam loci: ad latus imperii, ex stylo graecorum desumtam, quae titulum honorarium imperatoris designat, ignorat omnis retro Germanorum antiquitas. Cnf. Du Cange Glossarium sub vocab. imperium.

82. Certus ordo considendi aut incedendi tempore Friderici I. imp. inter laicos duces nondum erat introductus, quod patet ex ordine ducum testium, in diplomatibus nominibus expressorum, ubi v. g. dux Bavariae saepius quidem praecedit Austriae ducem, aliquando autem illum sequitur, vid. diploma Friderici II. adhuc regis pro monast. Chiemensi datum Augustae 1215. 5. April.

83. Jus eligendi Regem Romanorum sive potius Germaniae regem tempore Friderici I. imp. penes plures, immo omnes adhuc principes imperii stetit, qui tunc et usque ad tempora Rudolphi I. Adolphi Nassav. Heinrici Lucemburg. Ludowici IV. et Caroli IV. aetatem principes ius eligendi habentes, nunquam autem electores dicebantur, elogio nimirum tunc sane inepto, cum certus numerus principum ius eligendi habentium, nec consuetudine, nec aliqua lege, esset definitus. *)

84. Archiducum Austriae elogium pauci solummodo duces Austriae ex Gente Augusta Habsburgica sibi sumserunt, v. g. Rudolphus IV., et Ernestus ferreus, nec tamen constanter, nec publice, multo minus confisi aliqua imperii constitutione, sed

*) Frustra Cl. notae author. p. 363. electionem Lotharii imperatoris anni 1125. in argumentum usitati sub imperatore Friderico I. encomii: electorum adducit. Sed Principes quatuor aut quinque nationum tunc in quadraginta vel quinquaginta compromissarios convenerunt, qui ipsorum et suo nomine tres principes regno aptos proponerent, quorum unus omnium principum suffragiis communiter eligeretur. V. Anonymus coaevus de electione Lotharii ap. Hier. Pez. Scr. r. Austr. I. 570—573. Qua compromissi forma in electione Friderici I. nonnihil immutata, sex vel octo compromissarii, ab Amando, tunc vivente Italico scriptore, officiati sive officiales dicti, apud Gewoldum de septemviratu cap. 6. p. 78. et ap. Pfeffinger in Vitriarium I. 125., Fridericum I. nominarunt, omnium deinde principum votis electum. Omnium etiam historicorum testimonio comprobatur, isto aevo et centum adhuc annis sequentibus, penes universos imperii principes ius eligendi regem Germanorum simulque Romanorum stetisse, atque necdum praerogativam electorum, qualem in privilegio maiori Friderici I. imp. 1156. intelligi oportet, obtinuisse, quae sensim sub Rudolpho I. Habspurgico 1273 eiusque successoribus introducta, per bullam auream Caroli IV. 1356. lege imperii sancita est. Unde satis mirari nequeo, cur Cl. notae author eadem p. 363. bina vice praetensum diploma Heinrici VII. 24. August. apud Schrötter l. c. 143. n. 19. post alias editiones impressum, in favorem privilegii Friderici I. maioris voluerit laudare, eoquod ibi electorum mentio in sensu Bullae aureae Carolinae fiat, variaque in eo privilegia contineantur. Suppositicium enim illud ipsum instrumentum habuerunt varii eruditi, ob rationes, quas Hanthaler in fastis Campil. I. 724. 42. recenset quidem, nec tamen refellit. Accedunt autem et alia novitatis ac suppositionis indicia: 1) Stylus omnino barbarus, a stylo diplomatum authenticorum huius regis longe recedens, assimilis potius illi, quo Friderici II. privilegio recens interpolatae tres gratiae sunt exaratae, de quibus infra sub H n. 4. et 5. plura dicentur: 2) omissum patris sui Friderici II. imp. mandatum, quod Heinricus VII. in rebus gravioris momenti exprimere tunc solebat, cum adhuc esset iuvenis 15. annorum et sub tutela quadam ducis Bavariae constitutus; 3) Gravis lapsus memoriae, cum ex Friderici I. praetenso maiori privilegio quaedam Heinricus VII. afferat privilegia, quasi recens Leopoldo VII. duci Austriae (socero suo) concessa, neglecta tamen Friderici I. proavi sui mentione.

sola animati suam in praepotentiam confidentia; usque dum primo Fridericus III. imp. solemni edicto an. 1453 statuisset, ut in splendorem domus suae duces Austriae posthac archiduces dicerentur. Copiose hoc ipsum pertractant ipsimet Austriaci scriptores, imprimis Hanthaler in fastis Campil. ll. I. p. 416 et 417. post Pfeffinger ad Vitriarium ll. 21 — 24 multosque alios. Desuper tamen praecipue notandus est Trithemius, scriptor Friderico III. imp. fere coaevus, qui in suo Chronico Hirsaug. ad an. 1309. edit. 1690. ll. 119. occasione data haec notat: „Fridericus imp. „III. — Austriae ducatum, unde procreatus fuit, (an. 1453) in „archiducatum erexit, qui titulus nescio, si ab origine imperii „Romani unquam fuerit auditus." nimirum publice. *)

---

*) Cl. author notae p. 363. facta ducis Rudolphi IV. Austriae ducis praeprimis favere credens privilegio Friderici I. imp. longiori, ut iam supra ad num. 63. indicavi, ea tot esse eiusdem privilegii ad literam ab illo executioni mandati testimonia audacter pronunciat. Huius autem interpretationis testem Cl. author se habere putat in quadam cautione, quam Rudolphus IV. dux in castris ad Esslingen 1360. 5. Sept. a Carolo IV. petiit ac impetravit; in litteris germanicis huius imperatoris ap. Kurz Oesterreich unter H. Rudolph IV. Beyl. V. p. 341. impressis. Ast ista clausula ab ipso Cl. authore extracta haud rite intelligitur, nisi tota legatur, verba enim cautionis ultima: „in frn rech„ten, die ſi von iren Elttern herpracht haben, chainen Schaden bringen;" facilem iustae interpretationis modum ostendunt, dummodo cum aliis consonis cautionibus, et inprimis cum ipsius Rudolphi IV. confessionibus, Carolo IV. imp. et imperio factis conferantur. Praecessit ergo similis cautio in Seeveld 1360. 21. Maii peractis investiturae solemniis a Carolo IV. imp. praedicto duci eiusque fratribus et successoribus exhibita, impressa ap. Steyerer in commentariis de historia Alberti ll. ducis p. 299. cuius ultima verba, sequenti iam dictae cautioni conformia sunt: „nec in suis libertatibus et iuribus, „quantum eis iure debeatur, aliquod praeiudicium generari." Nunquid ideo iure debetur ducibus Austriae, ut intra metas terrae Austriae feuda sua ab imperio recipiant, aut insedentes equo, quia Carolus IV. imp. fatetur aliqua solemnia in ista investitura esse omissa? Immo vero Seeveld locus, recipiendi feuda Rupolpho IV. destinatus; utut in terra Austriae, non tamen erat de terra Austriae, sed feudum imperii ad Burggravium Norimbergensem spectans, quod ex Spiess supra num. 62. abunde constat. Esto autem, vel sic verbis privilegii Friderici I. maioris: „intra metas terrae Austriae," satisfactum esse; quis credet, a Carolo IV. imp. ex privilegio tunc nusquam cognito, et non potius ex propria voluntate illum minus celebrem largiendis Rudolpho IV. duci feudis elegisse, ut eidem genero suo gratificaretur? Qua tamen electione loci, curiae principum haud competente, simul factum est, ut praescriptus ante quatuor annos in Bulla aurea eiusdem Caroli cap. 29. talis pro recipiendis feudis imperii modus, nimirum curia principum et praesentia officialium imperii haberi non possent. Hunc igitur potius curiae

85. Vocabulum denique: palatinis, praemissum ducibus vel archiducibus, omni sensu destituitur, nisi illud acceperis ex stylo Graecorum aut Merovingorum ac Carolingorum, jam dudum obsoleto. Aetate enim Friderici I. imp. novimus nonnisi palatinos comites, ordine semper ducibus inferiores, qui non essent simul duces, sicuti Ludovicus Imus Palatinus comes Rheni, dux Bavariae ab anno 1213.

86. *Momentum tertium decimum.* Allatae in extremo praetensorum privilegiorum num. 16to accessiones illae, quae secundante fortuna ab an. 1192. ac deinceps terris Austriae, tam sub stirpe Babenbergica, quam sub Otokaro Bohemo ac praecipue sub stirpe Habspurgica sunt factae, nullo tunc temporis, quo ducatus Austriae primo erectus est, indicio prodebantur, sed incerto futurorum eventu pendebant, cumque praevideri non potuissent, neque alicuius constitutionis imperialis potuerant praebere argumentum.

---

principum defectum, quam deficientem equitatum aut vestem ducalem dicta prima cautione 1360. 21. Maii Carolus IV. imp. ex petitione Rudolphi IV. ducis supplere voluit. Sed iam transeamus ad cautionem alteram anni eiusdem 1360. 5. Septmbr. ex rerum adiunctis explicandam. Dici debet ea, quae Carolus IV. genero suo Rudolpho IV. duci sub sequentibus imperatoribus ac regibus salva esse voluit, potius spectare ad foedera armorum, tunc invicem iuncta, ex litteris apud Kurz Rudolph IV. pag. 340. num. 4., quae defunctis foederum auctoribus et mutato regimine debent ac solent cessare. Nam quod spectat titulos, et inprimis titulum Palatini, quos sibi Rudolphus IV. dux sumpsit in litteris ac sigillis, tam inter suos gratias largiens, quam imperatori per epistolas respondens, ipse verbis expressis fatetur, ipsum eos sibi absque iure usurpasse, 1360. 5. Septemb. apud Schöpflin in Alsatia diplomatica II. 234. num. 1099: „wenne dem — Hern Karlen Römischen Keyser — missefallen „haben unsere Ingesigel und etzliche tituli, der wir uns angenommen haben in „unsern Brieven etc.“ quod clarius repetit idem Rudolphus IV. dux Norimbergae in curia imperiali 1361. 24. April apud Pelzl Kaiser Karl IV. II. Theil Urkundenbuch S. 324. N. 290. „Wie halt das sey, dass wir uns vormals in et„lichen unsern Briefen geschrieben haben, Pfalenz Herzogen u. auch Herzogen „in Schwaben u. in Elsass, dass wir doch zu der Pfalenz khein Recht haben, und „auch nicht Herzogen seyn zu Schwaben und Elsassen etc.“ Quibuscum conferatur alia eiusdem ducis confessio Norimbergae 1361. 14. April. facta apud eundem Pelzl l. c. 325. n. 291., praecipue vero Caroli IV. imp. relatio ad Ludovicum Hungariae regem ex Castris apud Esslingen 1360. 5. Septemb. facta, apud Glafey in anecdotis historiam ac ius publ. illustrantibus sive in diplomatario Caroli IV. p. 641. num. 514., cui super duce praedicto gra-

87. Accedit, quod Fridericus I. imp. toto longi sui regiminis tempore, quaslibet ducatuum ac dominiorum maioris momenti exspectantias, ad magnificandam propriam sobolem, omni arte licita transferre satageret. Formidinem enim eius excitaverat omnis principum praepotentia, etiam proxime sibi iunctorum sanguine, quod de Friderico duce de Rotenburg, patruele eius, notavit Heinricus Berchtesgadensis coaevus ap. B. Pez. in thesaur. Anecd. ll. III. 212.; adeoque multo magis remoto solum, aut nullo consanguinitatis vel affinitatis nexu sibimet cohaerentium. Inde etiam undique coemit variorum principum allodia v. g. Welfonis, cnfr. Hess monum. Guelf. 67; Comitissae de Cleve et Heinrici ducis Austriaci, dicti Medlicensis: cnfr. Testamentum Friderici I. et donatio Friderici II. facta Primizlao sive Otakero duci Bohemiae an. 1212. VI. Kal. Octob. sive 26. sept. cnfr. Hess l. c. et Goldast commentar. de iuribus Bohemiae in Schminkii addit. p. 178 et Chron. Pulkawae Tom. III. Monum. Bohem. p. 209.

---

tiae suae tunc reconciliato haec potissimum refert: „illustrem Rudolfum, „Austrie, Stirie et Karinthie ducem; generum et filium nostrum dilectum, in „gratiam nostram, iuxta Electorum et aliorum principum, qui nobis aderant, „ac etiam ipsius Ducis supplicem petitionis instantiam, iam reductum ab „illis erroribus, quibus aut iuventutis levitate praecipiti, seu malorum sua„dente versutia, satis pernitiose imbutus extiterat paterna mansuetudine et „grate persuasionis affectu, ad viam ordinate rationis nostra reduxit sere„nitas.“ Ubi simul advertere licet, titulum archiducis, licet proprio marte ab eodem Rudolpho IV. assumtum, nec ab imperatore aut a quoquam imperii principe illi tributum, nec a praedecessoribus aut successoribus eius usque ad an. 1453 usurpatum, non tamen magno illi vitio versum aut speciali mandato prohibitum esse; non quod iure illi deberetur aut ex quodam privilegio, sed quod indulgendus illi talis titulus videretur, quo vera ac nota eius praepotentia exprimeretur, quo etiam omni reliquo vitae suae tempore, quamvis non continuo, usus est. Accedit, quod, ut supra iam num. 63. dictum ost, et ex his ipsis, quae nunc allata sunt, apparet, 1361. 5. Mart. et 14. Aprilis, iterumque 1363. 20. Nov. in iudicium vocatus et arrogantias suas deponere iussus, nunquam pro sua defensione ullum verbum de privilegio quodam, quo sibi ac terrae suae ista et alia concessa essent, attulerit, certissime allaturus, siquod instrumentum privilegii maioris Fridererici I. habuisset. Tempora ergo factorum ac litterarum longe melius secum concordabunt, si dicam: Secretarios Alberti V. ducis sive regis II. ac Caroli V. imperatoris circ. annos 1451. ac 1530. demum ex factis ac titulis Rudolphi IV. ducis ansam arripuisse, ad ista instrumenta confingenda, corruptis interpolatisque vetustis Friderici I. ac II. imperatorum privilegiis.

88. Licet demum praevisas, non oportuit tamen in diplomate Friderici I. imp. memorari futuras terrarum aliunde terrae Austriae adquisitarum accretiones; eoquod in generali iuris haereditarii lege niterentur, iam in praemissis sub potestate ducatum, cuicumque libuerit, affectandi, comprehensa, quae scilicet potestas aliis quoque principibus ac nobilibus imperii in favorem ducis Austriae competebat, aeque ac duci Austriae in favorem alterius de terris suis disponere licebat.

89. Superfluum ergo et amputandum ab authographo Friderici I. illud additamentum, cum multis aliis postea illi interpolatis, merito est habendum, quo ipso sua breviori diplomati stat servata in sinceris copiis integritas.

90. *Momentum decimum quartum.* Expensis hucusque momentis intrinsecis, quae utrumque diploma an. 1156., brevius ac longissimum, offerebat, iam ad criteria externa convertimur, quae duplicis solent esse generis; alia proxima, petita ex facie instrumenti externa; alia remota, desumta ex testimoniis variis, per transsumta, confirmationes aliasque notitias nobis desuper conservatis.

91. Inprimis ergo facies utriusque instrumeuti externa perpendatur.

Breve namque instrumentum auctoritatem sibi conciliat ex copiali Codice Passaviensi, unde hausta est haec nostra editio, nec opus est in hac censura alio criterio, quam quod scriptura, qua illic exhibetur, codici ipsi vere sit coaeva, cuius aetas aetatem Friderici II. imp. qui Frideric I. imp. diploma brevius anni 1156 suo aeque breviori diplomati anni 1245. inseruit, propemodum attingat.

92. Longius econtra diploma Friderici I. imp. solitarium, et nulli antiquo insertum codici transsumtorum, si vel unicam novitatis notam ostenderit, non poterit esse authographum, quale perhibetur.

Quod exemplar cum oculis inspici nobis datum non fuerit, nullumque usquam specimen eius editum, ex fidis solummodo,

quae habentur editionibus, eiusmodi novitatis notam lectoribus sistemus.

93. Norunt rei diplomaticae periti, cum Besselio in Chronico Gottwicensi l. p. 358 et 421., potissimum characterismum in diplomatibus Friderici I. non in forma literarum et abbreviationum etc. sed in interpunctionibus observari, quod illius aevo nullum adhuc comma, loco interpunctionis, sensum orationis aut periodi distinguat, qui meris tantummodo punctis distinguitur. Id quod ex septuaginta octo et ultra chartis eiusdem imperatosis, quae hic extant, authenticis probare licet.

94. Jam vero in diplomate longiori Friderici I. 1156, quale illud accuratissime ediderunt Senkenberg, Schrötter, Rauch et Arneth, supra sub B. 15. 16. 20 et 21. laudati, quinquaginta sex eiusmodi commata, non ex aetate Friderici I., sed ex aevo Friderici II. et posterioribus saeculis deprehenduntur.

95. Illum animadvertentes naevum, ac manifestum anachronismi et novitatis indicium, non immoramur in reliquis notis exterioribus, quae aevo Friderici I. aut characteristicae non sunt, aut assimilari per maximam industriam ac peritiam poterant; quorsum pertinent formatio litererarum cursivarum ac uncialium, Monogrammatis etiam et ipsae Bullae aurea de charta ad chartam translatio; quae tamen et similia solertius, absque partium studio, expendere rogamus eos, quibus copia est, instrumentum, quod solum extare dicitur, non una vice et paucis horis, sed quasi continenter contemplandi, et satis cunctanter, cum omnibus, quae ad rem pertinent, documentis, conferendi.

96. *Momentum decimum quintum.* Remotiora, quae iudicium, super fide instrumentorum ferendum, magnopere fulciunt adminicula, sunt testimonia varia in aliis monumentis desuper prolata.

Et breve quidem diploma Friderici I. 1156, prout ex dictis manifestum iam est, non sòlum tot verbis cognitum fuit antiquo chronicarum illius aevi scriptori, Hermanno Niederaltachensi, qui ex scriniis imperii se illud hausisse testatur, vid. sub A. 1.; sed fides etiam illius nunc primum ex insertione in Friderici II.

diploma brevius anni 1245 confirmatorium per Codicem diplomaticum Passaviensem, fere coaevum, sustentatur: in quo nimirum codice plures centenae diplomatum copiae habentur, cum authographis, quorum magna pars restat, apprime convenientes, nulla illarum truncata aut interpolata, unam si excipias chartam anni, ut dicitur, 823. 28. Jun. duplici forma in eodem codice exhibitam, fol. 41. veram fol. 65. b. interpolatam, prioris chartae quodam originali, quamvis suspecto adhuc superstite in archivo regio Monach.

97. Longius autem diploma Friderici I. 1156. publice non fuit cognitum ante annos 1488 aut 1503, quibus Vitus Arenpeck, Chronicas suas Austriae et Baioariorum absolverat, qui istud his inserendo primus publicavit vid. supra B. 1. Arcanis vero archivi domus Austriacae cancellis non innotuit, priusquam transsumtum eius, non solitarium, sed insertum transsumto diplomatis Friderici II. imp. anni 1245. aeque longioris, Leonardus episcopus Passaviensis Viennae 17. April 1437., sigillo suo et subscriptione notarii sui, Petri Sartoris de Kirchaim, clerici Misnensis, firmasse testatus esset. *)

---

*) Verum quidem est, in quodam Rudolphi I. Habspurgici diplomate, apud Schrötter l. c. 159. num. 22. saepiusque alias impresso, quod dicitur in Reinfelden 11. Junii 1283 esse datum, laudari privilegium Friderici I. imp., super erectione ducatus Austriae an. 1156. Ratisbonae concessum. Ast cum Cl. notae Auth. p. 359. praetensum istud Rudolphi I. privilegium Mannerto nostro opponat, qui antiquiorem Transsumto Passaviensi anni 1437. privilegii longioris Friderici I. imp. memoriam extare negabat; inde necessarium duxi, ut iam modo brevissime argumenta proponam, quae illud Rudolphi I. privilegium valde suspectum, ac verisimiliter falsum esse eruditis persuadebunt, qui a partium studio fuerint alieni. a) Mentio consensus electorum ac tribus archiepiscopis, Moguntino, Coloniensi et Trevirensi, antepositus Wenceslaus, rex Bohemiae, tunc adhuc puer 12 annorum et nonnisi post tres annos gener regis futurus. b) Dies mensis aliter, quam iuxta Calendarium Romanum, sive, ut in germanicis chartis Rudolphus I. assuevit, potius a feria hebdomadae proxima festo cuidam celebri Christianorum; nam 11. Jun. huius anni currebat feria sexta post Pentecosten, quae erat notanda. Accedit annus Christi ineptissime numeris arabicis expressus. c) Praepostera excusatio fractionis sigillorum, in chartis speciatim nominatis deprehensae, culpa eius in Ottocarum et Belam, reges Bohemiae ac Hungariae, terrae Austriae invasores, reiecta; cum neque his regibus quidquam negotii cum hisce privilegiis esse posset, neque laesio talis in tam propinquo tempore verisimilis appareret.

98. In quo transsumto, etiamsi sit in se verissimum, haec tamen non parum offendere possunt lectorem. Primo cur Friderici II. potius, quam Friderici I. privilegium exemplarie, altero sit duplicatum.

99. Secundo cur in loco et ab episcopo, qui uterque a mandatis Alberti, tunc ducis Austriae, mox autem Romanorum regis, electi circ. 20. Mart. 1438. defuncti 1439. 27. Octob., steterat, transsumtum hocce sit confectum; et non potius per Archiepiscopum Moguntinum, Germaniae archicancellarium.

100. Dubium namque exinde redditur ipsum Leonardi episcopi transsumtum utriusque diplomatis Friderici I. ac II., utrum vel unum utriusque tunc in forma, qua se illud afferre testatur episcopus, extiterit, et non potius utrumque recens concinnatum ab ipso illo episcopo eiusque notario, vel potius a consiliariis Alberti ducis mandato, ut asserebant, illud sibi exhibentibus, quibus, ut gratiam aucuparentur principis sibi maxime necessarii, quaequam audendi nec animus deerat, nec dexteritas. In quo conatu mirum non est, potius Leonardum ep. Friderici II. diploma transscripsisse, quam Friderici I. solum, atque in isto diplomate confirmatorio, excepta unica interpolatione, totum diplomatis Eriderici II. contextum retinuisse, quo facilius, quod voluerat, obtineret, tegeretque fallaciam.

101. Dubium augetur ex eo, quod Fridericus III. imp. in diplomate 1453. 6. Januar. quod generalis quidem est confirmatio privilegiorum Austriacorum, sed quae fortasse prima specia-

---

d) Dictio germanica aevo et genuinis Rudolphi I. chartis minime conveniens; quod grammaticis, vulgaris linguae studiosis, atque alia diplomata authentica Rudolphi I. regis lingua vulgari exarata, quorum magna passim extat copia, intuentibus, primo intuitu patebit. e) Cura petendi transsumtum ipsius Rudolphi I. diplomatis, non petente principe, sed solo eius Secretario, non procurante archiepiscopo aliquo Germaniae, inprimis Moguntino, sed duobus clericis Viennae commorantibus, quorum nullus a suspicione, tunc recens confecti diplomatis, poterit liberari; maxime cum et tempus dati transsumti 1431. 18. Jun. dictioni Germanicae, in transsumto diplomate usitatae, conveniat, et tempus fingendi in secretaria Viennensi eiusmodi diplomata indigitet.

lem imperatorum ac regum, a quibus privilegia illa processerunt, memoriam subministret, nullam Friderici I. eiusque diplomatis faciat mentionem, sed solum Friderici II.; in quo altera extensa Caroli V. confirmatio anni 1530. 8 Sept. Friderici III. confirmationem sequitur, memorans solum diploma Friderici II. cum inserto Friderici I. diplomate.

102. Quodsi enim Fridericus III. ac Carolus V. imp. authographum Friderici I. imp. copiae, quam ex insertione in Friderici II. diploma factam notaverant, conforme adesse cognovissent, illud singillatim laudare oportuerat. Cuius inde diplomatis Friderici I. longioris aetatem non possumus statuere ante annum 1530, facti utique mora longissima ac solertia per centum fere annos, inde ab an. 1437., continuata, usquedum exactissimam prototypi similitudinem videretur exhibere.

103. Dubiam denique, non quidem ipsorum privilegiorum Austriacorum, facto et observantia adquisitorum, sed omnium chartarum regiarum et imperialium, quibus inniti illa haud merito dicebantur, fidem praedicti imperatores Fridericus III. ac Carolus V. palam agnoscebant, defectus in chartis illis fors deprehensos supplentes ac sanantes, ex plenitudine caesareae Maiestatis. Nec mirandum sane, hosce imperatores, novitati chartarum ac scripturarum viciniores, primo intuitu novitatem agnovisse, quam nos post tria saecula ceu vetustissimam intueri credimus antiquitatem; taliter enim nova procedente tempore solent transire in antiqua.

G.

Discrimen, quod est inter utrumque exemplar diplomatis renovatorii ac confirmatorii, Friderici II. imp. an. 1245, brevius et longius.

1. Consentiunt in titulis ipsius Friderici II. imperatoris, concedentis, Friderici quoque II. ducis, impetrantis novum privilegium, Friderici etiam I. imperatoris, cuius privilegium an. 1156.

de verbo ad verbum dicitur insertum; similiter conveniunt in narratione petitionis, per Fridericum II. ducem factae, in ipsa confirmatione, in sanctione poenali mille marcarum auri contra transgressores, in testibus saltem plerisque, in Monogrammate, in anno caeterisque notis chronologicis, ipsaque bulla memorata.

2. Differunt autem primo in elogio excellentissimi, quod in longiori solummodo exemplari tribuitur duci Friderico II.

3. Secundo discrepant in contextu inserti privilegii Friderici I., quod in brèviori exemplari brevius, in exemplari longiori longius quoque est; de qua tamen differentia supra sub E. pluribus numeris 1—10. actum est.

4. Datur quidem aliqua varietas lectionum inter editiones minoris inserti diplamatis Friderici I., et editiones minoris solitarii, ac primigeni eiusdem Friderici I. diplomatis sigillo solummodo muniti, exhibitas sub lit. A et C; ast haec varietas essentialis non est, meliorque lectio in utraque editione inserti diplomatis Friderici I. sub C. 1. et 2. affertur.

5. Tertio, et potissimum, dissimilia sibi in eo sunt, quod privilegium renovatorium ac confirmatorium Friderici II. longius novas addat gratias, inter confirmationis formulam et sanctionem poenalem positas, atque hoc ipso, insuper suo etiam initio ac fine facile agnoscendas; incipiunt enim: Igitur competit; et finiuntur: in futurum possidebit.

6. Quae quidem gratiae novae, quantum datur intelligi, tres sunt: 1) ut nullus vasallorum ducis Austriae, nullusque terrarum eius incola cuiquam subiectus sit, nisi ipsi duci et locum eius tenentibus; 2) ut dux Austriae principali suo pileo superraddat crucem diadematis imperialis; 3) ut dux Austriae feuda sua gratis sive absque mercede recipiat.

7. Gratiae istae novae simul indulgentur duci Austriae in omnibus eius terris, quas nunc possidet et in futurum possidebit, id quod gratiam novam non videtur exprimere, sed gratiarum solummodo extensionem.

8. Supersedemus aliis discrepantiis, quae non sunt essen-

tiales, nimirum in constructione vocabulorum, in nominibus ac numero testium etc., quas partim in decursu huius recensionis notavimus; v. g. sub F. n. 5. partim autem tuto afferre nequimus, eoquod editio accurata et integra atque ad prototypon, sive ipsius diplomatis Friderici II. sive copiae Cuspiniani facta nondum comparuit.

H. Momenta pro diiudicanda auctoritate, qua unum prae altero valet exemplari privilegii Friderici II. 1245, brevius, prae longiori.

1. *Momentum primum.* Elogium excellentissimi, sive praerogativa excellentiae, tunc et omni retro antiquitate, nonnisi solis regibus et imperatoribus tribuebatur. Confr. desuper Du Cange Glossarium med. et inf. Latin. edit. 1733. III. 209 210 et passim alii. Qui titulus falsus, sive stylo curiae omnino contrarius, cum absit in breviori privilegio, soloque in longiori reperiatur, huic illud longe anteferendum esse persuadet.

2. *Momentum seeundum.* Privilegium longius Friderici I. imp., insertum longiori diplomati confirmatorio Friderici II., hocce eoipso maxime suspectum reddit. Illud enim supra sub lit. F. per quindecim momenta non levia impugnatum est, et passim ceu privilegium novitium, seu recens mutationibus et interpolationibus augmentatum censetur.

3. Factum quidem esse scimus, ut post multos annos rex aut imperator praedecessoris sui diploma falsum vero suo diplomati insereret, petentium et exhibentium narratione deceptus. Fridericus ergo II. similiter narratione facti antiquorum regum ac imperatorum v. g. Ottonum, Heinricorum, decipi potuit, ut falsa, rasa ac interpolata eorum diplomata inserendo repeteret et confirmaret, quod cum debita tamen cautela eum fecisse constat in diplomate Rotensi anni 1226. mense martio. Ast idem imperator Fridericus II. nunquam deceptus fuit in factis avi sui Friderici I. imp., eius diplomata renovans, ex quorum numero hocce

longius privilegium Austriacum esse dicitur, quorumque authentica eum in scriniis domus Augustae penes se habuisse oportet.

Insertum ergo falsum avi sui instrumentum, utrumque falsum esse annunciat, insertum pariter et inserens; maxime cum eis ambobus obstet brevius Friderici II. diploma confirmatorium, nonnisi brevius avi eius privilegium continens.

4. *Momentum tertium.* Gratiae in longiori Friderici II. diplomate confirmatorio superadditae, incipientes particula: igitur, omnem contextus sensum perturbant; mandatum enim consuetum contra transgressores eadem particula: igitur, inchoans, sicut in breviori Friderici II., diplomate, ac in plurimis eiusdem imperataris chartis reperitur, gratias istas plane alienas esse ab hoc diplomate convincit.

Eaedem gratiae conscriptae sunt stylo plusquam barbaro, a contextu reliquo, qui per totum privilegium brevius sibi aequalis et pro saeculo decimo tertio satis purus est, plane dissonante. Certe expressiones ibi occurentes: competit imperiali imperio — principi nostro speciali gratia gratiando; nullus suorum feudalium aut suarum terrarum inhabitantium sive possidentium nulli alteri aliquid iuris obediat; crucem nostri diadematis suo principali pileo sufferendam; sua feudalia — liberaliter suscipiat, datione sine omni; iura omnia praescripta rite et liberaliter tenere debeat: non sunt tantum hominis latinitatem corrumpentis, sed etiam barbarismum maiorem, quam qui ullo aevo extitit, affectantis.

5. *Momentum quartum.* Novae illae gratiae nullo verbo in contextu praevio, scilicet in petione Friderici ducis aut in subsequenti confirmationis formula annunciantur; sed simplex ubique renovatio ac confirmatio indicatur, quae amplificationem privilegii prorsus respuunt.

6. Neque etiam consuetudo ferebat Friderici II. imperatoris, in confirmationibus ac renovationibus diplomatum, a seipso, aut ab aliquo praedecessore aut a quovis principe concessorum, quidquam augmentare. Ut tantummodo de primi et secundi generis chartis renovatoriis loquamur, ad manus sunt plura Fride-

rici II. imp. renovationum instrumenta, insertis antecessorum suorum, regum ac imperatorum, ac suimet ipsius privilegiis ac concessionibus, v. g. Heinrici IV. an. 1226. mens. Martio, de quo paulo ante n. 3. facta est mentio: Friderici I. avi sui 1230. m. April pro monasterio Benedictoburano; 1235. m. Maio pro monasterio Admontensi; 1240. m. Junio pro monasterio S. Ulrici Augustae; Heinrici VI. patris sui ann. 1230. m. Aprili pro Monasterio Reicherspergensi; eod. an. et. mense pro monasterio Tegernseensi; Philippi regis patrui sui 1234. m. Novembri pro ecclesia episcopali Eystetensi; suimet ipsius an. 1224. m. Febr. pro domo Theotonicorum; 1235. m. Octob. pro monasterio Faucensi; eod. an. ac mense pro ecclesia Berchtesgadensi; 1247 pro civitatibus Wienna et Neustadt in Austria inferiore. In his enim instrumentis omnibus, omissa explanatione priorum aut additione novarum concessionum, renovationi et confirmationi proxime et absque medio subiungitur mandatum pro observantia, cum poena contra transgressores, et quidem particula unica copulativa: igitur vel itaque praecedenti confirmationi annexum. Neque contrarium ex ullo alio simili instrumento poterit ostendi. Merito igitur gratiae istae, in maiori solo privilegio Friderici II. renovatorio inventae, a novatore adiectae reputantur.

7. *Momentum quintum.* Levis momenti sunt gratiae tres adiectæ, parum convenientes maiestati imperiali, Friderico II. imperatori, ut eas concederet, superfluae autem ac inutiles Friderico II duci, ut eas peteret. Prima quidem gratia, si non verbis, saltem re, in privilegio Friderici I. imp. minori, nimirum in potestate ducali et exemptione ducis Austriae comprehensa est, quod observavimus sub lit. E. num. 39 — 46. Altera, affinis serto pinnito seu pinnato, iam supra sub E momento XI. num. 73. reiecta fuit, ceu res aut liberi arbitrii aut certe minimi ponderis. Tertia denique, de muneribus in receptione Regalium largiendis, omni tempore ab arbitrio principum pendebat, antequam Bulla aurea Caroli IV. imperatoris tit. 29. generalem desuper regulam statuisset. Neque ergo ulla istarum gratiarum gratiis specialibus adnumeranda erat.

8. Sedata paucos ante annos, circa annum scilicet 1240, gravissima simultate, quae interFridericum II. imperatorem et Fridericum II. ducem Austriae intercesserat, longe alia mens haesit utrique eorum, duci, ut peteret, imperatori, ut largiretur ei dignitatem regiam potius, quam inutilia eiusmodi iura secundaria. Quod propositum, licet, ut supra sub E. n. 73. dictum est, effectu caruit, conceptum tamen et asservatum est in epistolis Petri de Vineis epist. 26. lib. VI. edit. Amberg. 1609. p. 726—729, quae ad idem tempus renovati privilegii Friderici II. imp., Veronae mens. Junii 1245. certissime pertinet. Constat autem ex praedicta epistola, nihil tunc de accessione talium privilegiorum, utpote in potestate ducali iam comprehensorum, esse actum; immo displicuisse Friderico II. duci oblatum sibi instrumentum super concessione regiae dignitatis, ex qua privilegia sua ducalia, post adeptam potestatem regiam, non essent aucta; sed multis modis attenuata. Usque adeo largus esse nolebat Fridericus II. imperator erga cognominem sibi ducem Austriae, olim adversarium suum, cuius, haerede destituti, terras amplissimas certa spe sibi, aut nepotibus suis ex filio Heinrico VII. rege et Margaretha seniore Friderici II. ducis sorore, iamiam tenebat, quod supra sub E. num. 23 et 24. ostensum est.

9. *Momentum sextum.* Faciem longioris diplomatis Friderici II. imp. externam, nemo, qui vidit, accurate descripsit. Cuspinianus enim, ut supra sub D. 2. notatum fuit, p. 32. solummodo archetypon vocat et p. 46., quasi se corrigens, veterum diplomatum sibi copiam ab affine suo factam esse fatetur. Leonardus autem episcopus in transsumto anno 1437. 17. April., edito a Du Mont l. c. sub D. 7. generaliter tantum literam originalem, sanam, integram et illaesam, omni vitio et suspicione carentem se vidisse ac transsumi mandasse testatur, addens studiosam appensae ex filis sericis rubri coloris bullae aureae descriptionem. Sciunt vero omnes, qui diplomata, fraudis alicuius postulata, tractant, quam parum fidendum talium transsumptorum testimoniis, quibus ars critica fere continuo deesse solebat. Super forma igitur externa iudicium de Friderici II. diplomate longiore aliud ferre nolumus, quam quod supra sub E. num. 95.

de Friderici I. diplomate, similiter longiore tulimus, hoc tamen discrimine, quod Friderici II. praetensum archetypon, sicuti, praeter morem quidem, attamen casu aut studio, circa centum annos aetate alterum, Friderici I. longius privilegium, inter an. 1530—1555, confectum, quod sub E. n. 102. advertimus, praecedat, ita e contrario arte et industria ab hocce altero longe superetur. Cum ergo ex sola accuratiore diplomatis Friderici I. longioris editione sub E. n. 92—94 unum saltem naevum insignem deprehendissemus, ex solerti inspectione aut editione diplomatis Friderici II. longioris plura adhuc et graviora menda patefieri necesse est.

10. Brevius autem privilegium Friderici II., ex codice copiali Passaviensi coaevo productum, ipsa hac insertione auctoritatem sibi conciliat, de quo iam supra sub E. n. 91. pauca dicta sunt, et adhuc dicentur, quibus palam cognoscitur, illud auctoritate praecedere longius eiusdem imperatoris diploma confirmatôrium. *)

---

*) Codicem Lonstorfianum iam supra sub. F. n. 96. breviter defendi. Verum Cl. author notae ad Volum. XXVIII. P. II. sect. II. num. 107. p. 367. impugnando brevius Friderici I. privilegium hunc etiam, quem pretiosum vocat, codicem, ab Ottone de Lonstorf episcopo Pataviensi dictum, impugnandum sibi sumpsit; non ductus certa quadam ratione, sed levissima seductus suspicione; ne forte idem Otto episcopus privilegium minus Friderici I., quod putat antea pia fraude corruptum, suo primus codici inseri iusserit. Quocirca, ut codicem ístum a tali liberem insimulatione, rem esse codici cum Friderici I privilegio, prorsus nego. Friderici II. privilegium minus renovatorium ac confirmatorium exhibet, cui insertum tantummodo est Friderici I. minus privilegium. Codicis author, Otto de Lonstorf, episcopus, antea archidiaconus Pataviensis, temporibus quidem Friderici I. subcoaevus est, nequaquam spernendus, quod sub F. n. 96. dixi; Friderico II. autem et postremis Hohenstaufiorum temporibus coaevus omnino extitit, testis domesticus, in rebus suae ecclesiae expertus et incorruptus, qui authentica suae aetatis publica instrumenta nullo negotio potuit obtinere, nec consectando falsa aut truncata instrumenta quidquam potuit lucrari. Ille ergo episcopus Otto de Lonstorf, Codicem suum novum sibi praestituens, ducentas triginta tres chartas colligi jussit atque conscribi, optimas quidem, et authographis suis convenientissimas, desumptas autem ex prioribus duabus collectionibus praedecessorum suorum, ultra annum tamen 1058, raro progredientibus, praesertim autem ex ipsis chartis originalibus et ex aliis schedis fide dignissimis, sibi a piae mem. praedecessore Rudigero de Randek relictis. Nulli in hac re cuidam fraudi relinquitur locus, neque in toto codicis instituto, neque in speciali diplomatis Friderici II. insertione, sive finem inserentis,

11. *Momentum septimum.* Testimonia veterum favent brevi Friderici II. diplomati confirmatorio, nequaquam vero longiori.

12. Ex illis iterum iure merito producimus codicem Passaviensem, dictum Lonstorfianum, cui inscriptum est hocce privilegium anno 1263, seu si tardissime, ante 7. Maii 1264., testem iam ex fonte suo exceptione maiorem, insuper autem omnimoda alterius antiqui exemplaris ab Herrgott sub C. 1. laudati, in rebus gravioribus convenientia, sicut parva in minimis differentia sustentatum.

13. Ad hanc aetatem non ascendit diplomatis Friderici II. longioris memoria. Rudolphi I. enim privilegium, quod dicitur Reinfeldae 1283. 11. Junii datum, inter quatuor privilegia veterum imperatorum ac regum, terrae Austriac data, quartum quidem laudat Friderici II. ann. 1240. Bernae (Veronae) concessum;

---

sive locum insertionis spectes. Inprimis ergo magnopere intererat ecclesiae Passaviensi, quae praecipuos suos proventus ex Austriae ducatu percipiebat, scire, quibus privilegiis ducatus iste ab exordio eius 1156. fuisset exornatus; cumque episcopus Conradus I., comitiis 1156. 17. Septemb. et actui primae erectionis praesens, petere sibi apographum dati tunc privilegii neglexisset, successor eius Otto de Lonstorf, futuris eventibus prospiciens, loco primi privilegii, apographum privilegii confirmatorii ac renovatorii acquisivit, suoque Codici novo intulit, negligentia praedeeessoris sui tali modo compensata, quia in diplomate Friderici II. renovatorio habetur insertum Friderici I. privilegium. Quo instituto considerato, cur in allato Friderici II. privilegio, titulus ducis: excellentissimus, et tres gratiae speciales, nullo unquam tempore episcopo aut ecclesiae Pataviensi praejudicio futurae, fraude aliqua, vel pia vel mala, sint omissae, plane non video, si tamen in primaevo exemplari eiusdem privilegii comprehensae fuissent. Quod locum inserti in Codice Lonstorfiano diplomatis Friderici II. confirmatorii attinet, talis est, ut fidem ipsius codicis et eiusdem authoris, Ottonis episcopi, in hac re omnino demonstret, annumque insertionis indicet. Finitis enim ducentis viginti et una praecipuis chartis, quas ex praedecessorum suorum temporibus conservari voluit, fol. 127. b. num. 222. suasmet idem episcopus descriptori exhibere coepit chartas, praemittens suam ecclesiae Waldhausen an. 1256. 5. April factam donationem, quam in Originali adhuc extare dubium non est, impressam autem videmus Mon. Boic. XXVIII. l. c. 379. n. 113.; interiecto fol. 128. n. 223. ex aetate praedecessoris sui, Rudegeri, concordiae, cum Alramo 1244. 25. Mart. initae, instrumento, impresso Mon. Boic. l. c. 332. num. 106. erronee tamen ad 22. April, suam iterum cetatem prosequitur fol. 128. b. num. 224. donationem Heinrici de Schoumberch uxorisque eius, ecclesiae Pataviensi factae, ac transactionem desuper 1256. 23. Sept. cum episcopo Ottone, haud nominato, initam, proferens, typis editam Mon. Boic. l.c. 380. n. 114.; in sequentibus quatuor n. 225. 226. 227. et 228. denuo ad priora ante se tempora conversus, in Fol. 131. b. num. 229 ac 230 similiter sui tem-

ast, praeterquam, quod ipsum hoc Rudolphi I. privilegium saepius, ac novissime apud Schrötter l. c. 159. n. 22. impressum maxime suspectum sit, annumque falsum diplomatis Friderici II. praeferat, generaliter tantum loquitur, ac non privilegium Friderici II. longius, sed potius brevius potest annunciare. Ideoque de etate privilegii Friderici II. longioris nihil exinde poterit erui.*)

14. Prima itaque longioris privilegii Friderici II. mentio, cum ipso privilegio occurrit in transsumpto, per Leonardum episcopum, 1437. 17. April. Viennae exarato. In quo transsumpto quae palam offendant, supra sub n. 98 — 100 proposita sunt. Quae tamen chartae transsumpti huius non obsunt, sigillo episcopi transsumentis muniti, prout in editione per Du Mont facta, et sub D. 8. indicata, notatur. Verum enim, ast primum, inde de existentia longioris privilegii Friderici II. testimonium habemus.

15. Veritatem ipsius transsumpti privilegii Friderici II. longioris testatam facere nequivit transsumens episcopus, qui licet

---

poris chartas pergit adducere, duas nimirum traditiones a praepositis ecclesiarum Baumburgensis et Maticensis sibi 1262. 15. Mart. ac 1263. 27. Julii factas, impressas Mon. Boic. l. c. 382. n. 116. et 387. n. 118. Jam vero fol. 132. num. 231. ponitur celebre, de quo solo hic sermo est, privilegium minus Friderici II. 1245. mens. Junii. Cui postponuntur fol. 133. n. 232. ipsius Ottonis episcopi donatio, 1264. 7. Maii Capitulo suo facta, demum fol. 133. b. num. 233. similis eiusdem episcopi donatio, eod. ann. 1264. 21. Septembr. praestita, quae utraque, ex originalibus in Regestis de Lang III. 224. et 232. laudata, correctiorem exspectat editionem, quam quae facta est M. B. l. c. 388. n. 119 et 390. n. 120. Atque hae chartae an. 1264. 7. Maii et 21. Septembr. postremae sunt codicis Lonstorfiani; nam omnes reliquae, tam posteriores, quam intermediae, (quorsum pertinent Ottocari Bohemiae regis circ. 1261. 26. Octob. M. B. l. c. 481. n. 115. adducta, sed a continuatore Codicis eiusdem fol. 147. num. 262. allata; sic etiam Heinrici Palatini comitis Rheni, Bavariae (inferisoris) ducis 1262. 15. Decembr. Mon. Boic. l. c. 384. n. 117. quidem inserta, sed a secundo demum codicis Lonstorfiani continuatore fol. 178. n. 282. ad marginem notata, neque in elencho chartarum, ad finem Codicis M. B. 534 — 545. memorata,) exulant a Codice nostro Lonstorfiano, atque ad eiusdem continuatores, ut dictum est, spectant. Annus itaque insertionis privilegii Friderici II. in istum codicem ex ipso loco ac numero, quo inseritur, nimirum 1263 vel 1264, seu inter 27. Jul. 1263, et 7. Maii 1264., sive 18 annis tantum post datum ipsum Friderici II. privilegium, vivente adhuc et in Austria partim dominante Margaretha regina, Ottocari Bohemiae regis ac Austriae domini uxore repudiata, a qua, privilegiorum domus suae, dum viveret, custode, praedictus Otto episcopus authenticam ipsius huius privilegii copiam facillime poterat impetrare. Absit credere, impetrasse copiam mutilam, aut omnino adiuvante memoria recens erutam.

*) Plura super praetenso Rudolphi I. regis privilegio supra ad f. n. 97. dixi contra Cl. authorem notae p. 359.

usus in hac re actu iudiciali et per omnia solemni, arte tamen critica destitutus, falsa a veris discernere minime sufficiebat. Sed neque etiam, si quid melius sapuisset, sua in iudiciali negotio scientia uti voluit, partim, ut iudicem ageret nulli parti addictum, partim, ut mandato principis, Alberti ducis, licet tantum praetenso, obtemperaret; quare, ne sibi imputaretur, si quid doli petentium narrationi subesset, sapienti usus clausula, omnem culpam in ipsos petentes reiecit, quod his verbis est testatus: „de eius (Alberti ducis) mandato, ut asserebant.“ *)

16. Accedit maxima affinitas huius transsumti cum alio, quo diploma Rudolphi I. regis anni 1283. 11. Junii dicitur duplicatum, similiter Viennae 1431. 18. Junii, quod impressum invenitnr ap. Du Mont Corps diplom. I. 252. n. 479. Eo enim tunc Alberti eiusdem ducis Secretarius, Johannes de Meyers, progressus est, ut proprio marte, nullum principis mandatum laudans, non ab aliquo episcopo, sed a clericis tantum Viennensibus, transsumi sibi peteret instrumentum dicti regis Rudolphi I., quod manifesta praesefert suppositionis indicia. Quo ipso tempus manifestatur, quo Secretarii ducis Austriae conati sunt, privilegia, ducibus ac terrae Austriae, prius per actus solemnes sive per observantiam acquisita, etiam privilegiis antiquioribus, brevibus nimirum, inserere, et ex minoribus maiora, mutando et augmentando, efficere. Cnfr. supra sub F. n. 63.

17. Maioris quidem authoritatis testimonium ex diplomatibus confirmatoriis imperatorum, Friderici III. 1453. 6. Jan. et Caroli V. 1530. 8. Sept. pro Friderici II. imp. privilegio maiori peti posse videtur, quae apud Schrötterum post alios impressa l. c. 202. n. 33. et 218. n. 35. talem Friderici II. imp diplomatis, cum inserto privilegio Friderici I. imp., mentionem faciunt, ut dubium non

*) Cum Cl. notae author p. 360. testimonium Leonardi episcopi Pataviensis, in transsumto suo 1437. datum, omni dubio maius dicat, de optima huius instrumenti conservatione, amphibologiam imprimis praecavere debuisset. Non enim de Friderici I- privilegio maiori, sed de Friderici II. tantum privilegio, a se viso, et per transsumtum duplicato, testimonium perhibet Leonardus episcopus; hoc tantum, non illud, describens, de quo, ut ex F. n. 102. innui, post an. 1530. tandem confecto, tunc ne cogitatum quidem fuit. Inspectione autem praedicta ac descriptione non obstantibus, testimonium huius episcopi exceptioni obnoxium est, qui, ut dixi, verum dicere neque potuit, neque voluit.

remaneat, quin intelligendum ibi sit utrumque longius privilegium, Friderici II. et inserti Friderici I. Ast, ut supra sub F. n. 103. ostensum est, duo isti imperatores, Fridericus III. et Carolus V., defectus, in illis privilegiis occurentes, palam agnoscebant, quos ex plenitudine caesareae maiestatis supplere et sanare volebant. Non ergo aestimemus, hos imperatores de veritate diplomatica istius privilegii Friderici II. maioris testimonium protulisse, sed de simplici eius existentia, de qua iam pridem ex transsumpto Passaviensi 1437. edocti sumus.

18. Supra sub F. num. 102. Friderici I. imp. privilegium longius ad annos 1530—1555. retulimus, quo fit, ut, praeter rei diplomaticae regulas et naturae ordinem, priora sequantur, posteriora praecedant. Ast enim ea solet esse falsorum conditio, ut iis plerumque chronologia pervertatur.

19. Rem ita capiat prudens lector. Friderici I. privilegium longius solitarium demum ex Friderici II. confirmatorio ac renovatorio longiori petitum est; quaedam enim novitatis ac mutationis indicia absque magno labore deprehendet, dummodo editionem Cuspiniani sub lit. D. n. 1. ex archetypo Friderici II. privilegii longioris, et editionem ex transsumpto Passaviensi, ibid. n. 7. indicatas, cum solitario Friderici I. privilegio longiori comparaverit. Consentiunt quidem in rebus praecipuis, differunt autem in levioribus, nimirum in dictionis latinae erroribus, qui licet etiam in inserto Friderici I. privilegio longiori frequenter occurrant, in solitario tamen eodem privilegio non raro augentur; sic, super ducatum loco: ducatu; Anesum loco: Anasum; Heinricum Austriae, omisso: ducem; quibussvis trina vice loco: quibusvis; habeant loco: habeat; recedat loco: recedatur; pilleo loco: pileo; Harmannus loco: Hartmannus; episcopus Tridestinus loco: Tridentinus; Swineshud loco: Swinesheut. Quae errata, licet in authographis essentialia haud videantur, in copiis tamen potius, quam in authographis contineri reputamus.

20. Hinc sententiae, quae supra sub F. n. 102. proposita est, adhuc insistimus: Friderici I. imp. privilegium longius, quod quidem authographum dicitur, licet haud sit, ex insertione praevia in Friderici II. longius privilegium, posteriori cura in similitudinem prototypi efformatum fuisse.

Bayerische Staatsbibliothek München